NAZ.
III
Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
C
33
NAPOLI

XLVIII
C
33

EUSTRATII JOHANNIDIS
ZIALOWSKI RUTHENI,

BREVIS DELINEATIO,

ECCLESIÆ ORIENTALIS GRÆCÆ,

nunquam antehac, nunc
verò cum Notis evulgata,

à

WOLFFGANGO GUNDLINGIO,
Eccleſ. ad D. Laurentii Noribergæ
Miniſtro.

NORIBERGÆ,
Literis Andreæ Knorzii.
ANNO CHRISTI M. DC. LXXXI.

NAPOLI

VIRO

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO,

DOMINO

CHRISTOPHORO THEOPHILO DILHERRO,

à Thummenberg/Juriſconſulto,

Inclutæ Reipubl. Noriberg. & aliis Imperii Statibus à Conſiliis,

Domino & Patrono meo venerando.

Felicitatem!

REperi, *Vir Nobiliſſime, Excellentiſſime & Conſultiſſime, Patrone maxime!* inter B. Soceri mei, Viri Cl. *Johannis Vogelii*, Rectoris Scholæ Sebaldinæ meritiſſimi ſcripta, plagulam, cujus inſcriptio eſt: *Quædam brevis delineatio ECCLESIÆ ORIENTALIS GRÆCÆ.* Author ut ſubſcriptio indicat, eſt: *EUSTRATIUS JOHANNIDES ZIALOWSKI* Ruthenus, homo græcæ Religioni addictus, qui hanc delinea-

delineationem B. Socero meo, ante abitum ſuum, in ſui memoriam reliquerat. Adjecit in fine hanc petitionem: *Rogo ut hujus rei duo exemplaria deſcribantur, & unum* Domino Magiſtro Mauritio, *hoſpiti meo, & alterum* Dn. Heringio *Altdorfium transmittantur.* Norimb. 1621. Octob. 28. Ex quibus & Locum, ubi conſignata eſt hæc delineatio, & Tempus, quo apud nos, & Altdorfii fuit, percipimus. Matriculæ *Univerſitatis* inſcriptus quidem non eſt hic *EUSTRATIUS.* Altdorfii tamen fuiſſe & ſubſcriptio, in quâ M. *Georgium Mauritium,* Profeſſorem tum temporis Claſſicum, hoſpitem ſuum vocat, & literæ B. *Mauritii* ad Joh. Vogelium *p. m.* exaratæ, certiorem me fecerunt. Apponam ex literis B. Mauritii, quæ ad jam ſæpius nominatum Virum, cujus anima in benedictione ſit! reſcripſit: *Gratum mihi feciſti, quod deſcriptionem* Religionis Græcorum in Oriente *mecum communicâſti, quam per otium lubens & attentè legam. Ac Deum oro,* ut Dn. Euſtratio *benè faxit, qui hoſpitis memoriam tam fideliter retinet. Menſtruo illo ſpatio, quo convictu & habitatione mea uſus eſt, ſemel atque iterum convictores mei Sermonem injiciebant;*

quæ fides & religio eſſet Græcorum recentium? *Et ille partem quandam nobis exponebat, ſed ſine ordine, quippe in familiari colloquio. Et cum ego aliquando dicerem:* Davidem Chytræum Orationem ſcripſiſſe, de ſtatu & Religione *hodiernorum Græcorum: dixit Dominus* Euſtratius: *quædam tacta eſſe à Doctore* Chytræo, *ſed non omnia explanata. Quare gratius mihi erit exemplum à te miſſum, & à* Domino Euſtratio *provectum*. Ex his *Mauritianis* cognoſcimus, quæ cauſa ad ſcribendum *EUSTRATIUM* impulerit.

Fecit ſumma B. *Vogelii* humanitas, & non minor Græcarum literarum & S. Theologiæ peritia, ut multis peregrinis eſſet in deliciis, qui ipſius ambiebant amicitiam. Teſtem locupletem & certum habemus *Metrophanem Critopulum*, Hieromonachum, qui ex *Tubingenſium* Academia ad p. m. Socerum meum has dedit literas. Γράφων οὖν ἐν πρώτοις, ἀσπάζομαι τὴν σὴν ἐνδοξότητα τὸν ὀφειλόμενον ἀσπασμόν. Ὀφείλεται γάρ σοι ὡς ἀληθῶς παρ' ἐμοῦ πολλαπλάσιος ἀσπασμὸς (ἵνα μὴ λέγω καὶ πολλὰ ἄλλα σὺν τῷ ἀσπασμῷ παρ' ἐμοῦ σοι ὀφείλεσθαι) πολλῶν ἕνεκα. Σοὶ γὰρ πρώτῳ τῶν αὐτόθι ἐπὶ σοφίᾳ περιφανῶν ἐνέτυχον τῇ Νοριμβέργῃ ἐπιβάς. Ἡνίκα ὁ φιλανθρωπότατος καὶ φιλοξενώτατος κύριος Ἱερώνυμος ὁ Μορσαλαῖος οἴκοι δεξάμενός με, μετεπέμψατο εὐθέως

τὴν

τὴν σὴν ἐνδοξότητα ἵν᾽ ἔχω ᾧ ἂν συλλαλήσαιμι. σύ μοι εἰς τὴν πολυθρύλλητον Ἀλτορφίαν ἤγαγες μετὰ τοῦ ἐκείνου εὐγενεστάτου υἱοῦ, καὶ τοῦ ὁμοίου αὐτῷ γαμβροῦ. καὶ τί χρὴ καθ᾽ ἕκαστα ἀριθμεῖν; σύ μοι εἶ, πάντα χρήσιμος κατεφάνης. *Scribens ergò inter primarios ſaluto tuam celebritatem debitâ ſalutatione, debetur enim tibi verè à me multiplex ſalutatio (ne dicam* & plura alia cum ſalutatione tibi à me deberi) *multis de cauſis. In te enim primum Noribergam ingrediens iſtic ſapientiâ circumquaque conſpicuorum, incidi. Quando humaniſſimus & hoſpitum amantiſſimus* Dominus Hieronymus *MORSTALERIUS domum me ſuſcipiens, miſit, qui accerſerent ſtatim tuam celebritatem,* ut haberem, quo cum colloquerer. *Tu in celeberrimum* Altorfium *me duxiſti, cum ejus nobiliſſimo* Filio, *& huic ſimili* Genero. *Et quid commodi affert ſingula enumerare? Tu mihi in omnibus utilis apparuiſti.* Et nullus dubito, *quin ſimili occaſione* huic Euſtratio *innotuerit.* Certabat jam cum blattis hæc plagula, cum in manus meas perveniſſet, quam, ut perlegi, fateor, ſummoperè delectabar, quæ enim *ſunt rariora, cariora etiam habentur.* Pauca autem ſunt quæ de ſtatu Eccleſiæ modernæ Græcæ ad nos pervenêre. Suſpecta multa, *præſertim quæ à Pon-*

 tificiis

tificiis nobis communicantur. Juſtus enim ſemper metus eſt, ne ejusmodi ſcripta, quæ à Græcis dicuntur profecta, paſſa ſint manus iniquas. Et: *Annon ea*, quæ Curiæ Romanæ *ad Palatum non ſunt*, *ſint* caſtigata, *aut more ſolito* expurgata? Cum viſendam eam exhibuiſſem, *Viro Reverendo plurimùm, Ampliſſimo & Excellentiſſimo* Dn. Martino Beërio, *Paſtori ad Sp.S. digniſſimo & PP.* Theologo celeberrimo, *& in* Hiſtoriâ, præprimis Eccleſiaſticâ, Verſatiſſimo, *&, ut multa paucis dicam*, Viro de Eccleſiâ, *præſertim Noribergenſi* meritiſſimo, Præceptori *meo ſemper* venerando; author mihi hortatorque exſtitit, ut, quæ breviſſimè in hâc delineatione continentur, notis illuſtrarem. Obſequendum ratus hujus viri voluntati, manum admovi, eâque quâ potui brevitate annotavi, *in quibus* I. *AUTHOR* noſter *cum ALIIS*, *qui de* Religione hodiernæ Græcanicæ Eccleſiæ *ſcripſerunt*, cõveniat, *in quibus diſcrepet*. Ubi II. *GRÆCI* cum *LATINIS pugnent*, ubi *idem* ſentiant & loquantur. Et III. *ubi eorum*, quorum in hâc delineatione fit mentio, *veſtigia*, *in* Eccleſiâ *antiquâ reperiantur*? Ductum ſequutus ſum *EUTRATII* noſtri, cujus ſcriptum,

nun-

nunquam antehac editum, ſcripturâ *quam Typographi* tertiam antiquam vocant, textus loco exhibui. *Quod in ſingulis Paragraphis* à me obſervatum notatumque eſt, *literis a, b, c*, & ſimilibus *ſignavi*, & quoniam aliquot lineæ *literis peregrinis* ſcriptæ ſunt, quæ ad *Muſcovitarum* characteres accedunt, *quas tamen Latinas reddidit EUSTRATIUS*, in gratiam *curioſi Lectoris*, ut tabellæ *æneæ* inſculperentur, curavi. Tibi verò, *VIR NOBILISSIME*, Excellentisſime & Conſultiſſime, *PATRONE* colende! hos meos labores dedicare placuit, partim *ob amorem*, quo ſtudia hęc proſequeris, & quibus te multùm delectari probè novi; Partim verò, *ut gratum meum in Te animum, ob varia in me* benevolentiæ ſigna & magna beneficia, quæ mihi à *TE*, & reliquis *Viris Nobil. Amplisſimis*, quos *EISERIANA* pietas ultimæ ſuæ voluntatis *EXECUTORES* fieri curavit (*quorum omnium memoria eſt in benedictione*) *cum literis in* Inclutâ Altdorfinâ *operam navaſſem*, ſunt exhibita, uberius declararem, & ulteriorem in me meosq; amorem & benevolentiam tuam provocarem. Accipe benigno animo *Vir Nobilisſime, Excellentiſſime & Conſultiſſime*

PATRO-

PATRONE colende! quod ex animo beneficiorum tuorum memore proficiſcitur, & me inter eos eſſe crede, qui Te & diligunt & colunt & obſervant. B.V. Deus te Patriæ, Tuis, imò omnibus Bonis diutiùs ſervet!

Norib. dab. è Muſeo IX. Cal. Jul. ANNO M. DC. LXXXI.

TUI

VIR NOBILISS. EXCELL. ET CONSULTISS.

obſervantiſſimus

Wolffgangus Gundling.
Diac. ad Div. Laurent.

N.i. pag. 106.

Со страхомъ Божїимъ и вѣрою приступите.

N.ii. pag. 120.

Тѣло Христово примите, и источника безсмертнаго вкусите.

N.iii. pag. 131.

Причащаетсѧ рабъ Божїй .. во имѧ ѿца, и сна и стаго дꙋха, амин.

Subscriptio.

С. Н. З. Г. В.

ביי

BREVIS DELINEATIO, *De* RELIGIONE GRÆCORUM, In *ECCLESIA (a) ORIENTALI.*

(*a*) COmmodè juxtà quatuor mundi plagas, Eccleſia Chriſti in Orientalem, Meridionalem, Occidentalem & Septentrionalem poſſet dividi, in quas partes verbum Dei & Religio Chriſtiana, ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris fuit diſſeminata. Hæ Eccleſiæ (*utut in* Ceremoniis *aliqua fuerit differentia*) amicè conſpirabant & unum corpus faciebant, in unitate Spiritus una cum alterâ communicabat. Poſtquam verò *Pontifex Romanus* viam ad Monarchiam ſibi parabat, aliasque Eccleſias ſuo dominio ſubjicere laborabat, impatientes ſuperbiæ & tyrannidis ipſius, *Eccleſiæ preprimis fuerunt Græcæ* & *Orientales*, jugumque excuſſerunt. Facta exinde eſt ut animorum, ſic & cœtuum ſeparatio.

Qui à partibus ſtabant *Romani Pontificis*, Latina Eccleſia, ſive Occidentalis vocabantur; quemadmodum qui *cum parte potiori & Græcis faciebant*, Eccleſia Orientalis & Græca, *ſive ſint in* Oriente, *ſive in* Meridie, *ſive in* Occidente, *ſive in* Septentrione, *Græci* aut aliæ gentes. In Oriente aliàs, præter Græcos, quatuor præcipuæ Sectæ inveniuntur Chriſtianorum. I. *MONOPHYSITARUM*, cui adhærent *Jacobitæ*, *Cophtitæ*, *Æthiopes* & *Armeni*, quæ ſectæ à ſe invicem rurſus in materia *Eucharistiæ* & *circumciſione* differunt. II. Eſt *NESTORIANORUM*. III. *MELCHITARUM*, qui Melchitæ ſunt Syri aut Ægyptii, *Græci ritus*, quorum alii *Chaldaicè*, alii *Græcè* ſacra ſua peragunt, & divina obeunt officia, cæterùm *Græcorum* per omnia inſiſtunt veſtigiis. IV. Eſt *MARONITARUM*, qui à Monaſterio *S. Maronis* originem ducunt. *Abrahamus Ecchellenſis Maronita* è monte Libano, in notis *ad Canones Arabicos Concil. Nicæni* Tom. II. Conc. edit. *Philippi Labbæi* & *Gab. Coſſartii* p. 404. 405. Hi Maronitæ cum Eccleſiâ *Romanâ* communicant.

Huic religioni addicti dividuntur in (*a*) Clericos & (*b*) Laicos.

(*a*) Clericorum nomen origine Græcum eſt. Vocabulum κλῆρος *ſortem & hæreditatem* ſignificat. I. Pet. V. v. 3. Hoc nomine raſi & uncti omnes in Papatu appellari amant, quaſi ipſi ſoli

ſoli ſint hæredes Dei & regni ejus. Hoſp. l. I. de Orig. Monach. p. 4. *Eraſmus* ad locum Petrinum hæc notat: *Cleros vocat* non Diaconos, aut Presbyteros, *ſed gregem, qui cuique contigit* ſorte gubernandus. Eraſmo junge *Thomam de Vio* Card. *Cajetanum* albo ſanctorum inſcriptum. *Non intelligo* (ſcribit) per κλήρ@ *eos quos* vocamus Clericos, *ſed* Chriſtianos omnes *ad divinam ſortem adſcitos*. Ameſius Tom. II. Bell. Enerv. p. 73. 74. Poſtmodum Perſonis Eccleſiaſticis hoc nomen attribuebatur. Ita enim Tertullianus lib. de Monogamiâ cap. XII. *Cum loquimur & inflamur adverſus Clerum, tunc unum omnes ſumus, tunc omnes Sacerdotes.*

(*b*) Laicorum nomine veniunt quotquot ſacris initiati non ſunt, ſive ſint *Idiotæ*, ſive docti; ſive *ſubditi*, ſive Magiſtratus. Martinius in voce Laïcus. Carolus du Fresne in Gloſſario.

Clerici dividuntur in Regulares & Seculares. Regulares ſunt (*a*) Monachi ſolitariam vitam in Monaſteriis viventes.

(*a*) Monachi ab Origine ſuâ usque ad *A.C.* 890. non in Clericorum, ſed Laïcorum numero habebantur, proque magna abſurditate habitum fuit in puriori Eccleſiâ, ſi Monachus ſacerdotio fungeretur, & divina officia tractaret. *Hoſpin.* de Orig. Monach. lib. III. cap. XIII. pag. 160.

Hinc ex *Gratiano* demonſtrari poteſt, usque ad tempus *Euſebii*, *Zoſimi*, *& Siricii*, Monachos ſimpliciter Monachos & non Clericos fuiſſe. *Et hodienum Monachi in* favorabilibus Clerici *appellari amant, non autem* in odioſis, *quod habeant qualitatem* à Clericis ſecularibus *diſtinctam. Hoſpin.* l. I. de Orig. Monach. p. 4. De Origine autem Monachorum varia diſputantur. Alii à *Nazaræis* deducunt; alii à *filiis Prophetarum*; quidam à *Johanne Baptiſtâ.* Polydorus *Virgilius* l. 7. c. 1. derivat ab *Eſſæis*, quibus ſi addatur *Hieronymi* narratio, de Sacerdotibus Ægypti, conſtabit integra origo Monaſticæ vitæ, ex duobus corruptis. Hæc verò ex *Chæremone Stoico* de Sacerdotibus *Ægypti* recitat *Hieronymus* : *Renunciant curis & negotiis mundi, non miſcebantur mulieribus, cognatos nolebant aſpicere, à carnibus & vino, imò ab ovis & lacte abſtinebant, cubile ex foliis palmarum contextum habebant.* Chemnit. Tom. II. Loc. pag. 146. Certum hoc eſt ultra 200. annos, Eccleſiam, eo tempore quo fuit optima, Eremiticâ vitâ & Monachatu caruiſſe. *Hoſpin.* l. 2. de Orig. Monach. c. 2. pag. 36. Primus Monachus erat *PAULUS THEBÆUS*, qui propter religioſiſſimam ſanctisſimamque fidem Chriſtianam, Tyrannorum perſecutione preſſus (Chriſtoph. Angelus de Statu & ritibus Eccl. Græcæ, cap. 40. p. 79. Calv. Chronol. p. 372.) in eremum conceſſit, & usque ad tempora Conſtantini M. in vivis, ipſique Concilio I. & Oecumenico Nicææ congregato, interfuit. *Hoſpin.* de Orig. Monach.

nach. l.2,c.3.p.34. *Paulum ANTONIUS & alii ſequuti ſunt.* Et cum ex omni hominum genere ad *Antonium* inviſendum confluerent, & ab eodem ad contemtum ſeculi & perfectum vitæ ſtudium arripiendum, ſedulo invitati idem vivendi genus & inſtitutum capeſſerent, *complura condidit Monaſteria, cœnobiticæque ipſe primus fecit fundamenta*, adeò ut cœnobitarum Monachorum inſtitutor ſit habitus. *Hoſp.* l. 8. c.1. p.59. de Orig. Monach. Erant hi Monachi primo *liberi*, h. e. nullam certam præſcriptam regulam habebant, poſtmodum ſecundum certam aliquam regulam vivere inceperunt, unde *Regulares* dicti ſunt. C. *Rittersh.* in Explic. Novell. Part. I. c. 6. p. 69. *Thabennæſii*, ab Inſula Thabennâ in Thebaidos provincia ita nominati, *Pachomium*, Antonii diſcipulum, ſequebantur, qui in illâ Inſulâ Cœnobitarum inſtituit contubernium hâc (*credat qui vult*) occaſione: *Venit ad eum in ſpeluncâ ſedentem* Angelus, *dixitque ei:* Veni & omnes juniores Monachos collige, eosque juxta regulam vitæ, quam à me diſces, inſtitue. *Tabulas deinde ſcriptas illi dedit, in quas regula exarata erat. Hoſpin.* l. 3. c. 2. pag. 66. de Orig. Monach. Monachus hodie Græcis *Calogerus* vocatur, non ut vulgò exiſtimant ex καλὸς ἱερὸς, quod eſt *bonus Sanctus*, ſed ex καλὸς γέρων, *bonus ſenex*, eò quod ſenes ad hoc vitæ inſtitutum maximè ſint idonei. *Camerar.* Op. Subciſiv. Cent. I. c. 81. p. 373. Dividuntur Monachi apud Latinos in *Eremitas* & *Cœnobitas*. Græci tres Monachorum ordines

 faciunt,

faciunt, I. eſt *Monaſteriacus*. II. *Anachoreticus*. III. *Aſceticus*. *Chriſtoph. Angelus* c. 27. p. 52.

Seculares ſunt (*a*) Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, &c. (*b*) In Matrimonio penes Parochiales ſuas Eccleſias viventes.

(*a*) Pontificii *ſeptem Ordines Clericorum numerant*: Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Exorciſtas, Lectores & Oſtiarios. De Presbyteris loquitur Concilium Tridentinum, Seſſ. XXIII. & VII. ſub Pio IV. cap. 2. *quod Sacra Scriptura apertè illorum mentionem faciat*, & *ab ipſo Eccleſiæ initio, ſequentium Ordinum nomina* & *miniſteria in uſu fuerint*. Alii ſuaviter nugantur, ipſum Chriſtum per omnes illos ordines tranſiiſſe. Fuiſſe *Oſtiarium* quando ementes & vendentes templo expulit; *Lectorem*; cum ex Iſaia legeret ex libro; *Exorciſtam*, quando Dæmones expulit: *Acoluthum*, quando dixit: Ego ſum Lux mundi: *Subdiaconnum*, quando diſcipulorum pedes lavit: *Diaconum*, quando diſtribuit Euchariſtiam: *Presbyterum*, quando in arâ crucis ſe obtulit, & Euchariſtiam conſecravit. Mart. *Chemnit*. Part. II. Exam. p. m. 399. *Metrophanes* Conf. pag. 109. Ordines apud ſuos paulò aliter recenſet. *Diviſi ſunt (inquit) Sacerdotii Ordines* in ſeptem claſſes, *quarum prior ut* ſuperior eſt *Epiſcoporum*, (*quos S. Dionyſius* & *qui poſt illum*

lum fuerunt Doctores, Hierarchas vocarunt.) Poſt quam eſt *Presbyterorum* : Tertia *Diaconorum*: Quarta *Subdiaconorum*: Quinta *Lectorum*: Sexta *Exorciſtarum*: Septima *Janitorum*, ſeu *oſtii cuſtodum*. Acoluthos ergo, ſive miniſtros qui Epiſcopum & Presbyteros comitabantur, omninò præterit; *Lectores* Exorciſtis præponit; & tandem ex *Epiſcopis* & *Presbyteris* duas facit claſſes. Hoc verò ſciendum eſt, in omnibus omnium Orientalium Evchologiis, ſeu ritualibus, nullam occurrere formulam Ordinationis, *Oſtiarii*, *Exorciſtæ* & *Acoluthi*, ſed Lectoris tantùm, Subdiaconi, Diaconi & Presbyterorum. Inde Græcorum quidam apud *Jacobum Goar* in notis ad Græcorum Euchologium volunt: *hos tres ordines includi in Lectoratu.* Abrahamus *Ecchellenſis* autem Maronita, in notis ad Canones Arabicos Concilii Nicæni, Tom. II. Conc. edit. Phil. Labbæi & Gab. Coſſartii, p. 409. in eâ eſt ſententiâ: *Oſtiarii & Acoluthi ordinationes & officia, non ſolum* apud Græcos, *ſed omnes Orientales*, in Subdiaconatu *includi*. Ordinum verò multiplicatio & differentia cæpit in Eccleſiâ, poſtquam ſanctiſſimus Chriſtianiſmus, Dei gratiâ, crevit, obtexitque univerſam faciem terræ, propter hoc plurimis opus fuit miniſtris Eccleſiæ, ut ne autem confuſio inter hos ſit, ſed concinnè & decenter incedant, excogitati ſunt etiam ordines, ut ſint etiam inter illos, tàm imperantes, quam ſubditi. *Chemnitius* Part. II. Exam. p. 306. & 307. *Metrophanes* Critopulus Conf. p. 109.

 (b) In

(*b*) In Matrimonio vivere poſſe Clericos apud Græcos, confirmat *Metrophanes*. Conf. p. 111. Omnibus dictis ordinibus, *præterquam Epiſcoporum*, conceſſæ ſunt nuptiæ: non autem ut fortè accidit, ſed cum ratione prorſus laudabili. *Primò enim qui volunt uxorem ducere, antequam in ordinem eligantur, id faciunt.* Plura exempla Græcorum infrà allegabuntur. Nec hoc diffitentur Pontificii. *Fridericus Staphylus* Apoſtata ſcribit, *Defenſione* contra *Defenſores* Turris Babylonicæ Q. 3. *Græcis autem Eccleſiis & Orientalibus propter ejus gentis & loci conditionem, conceſſit* Nicæna Synodus *conjugium, non ut omnes oporteat ducere, ſed ut liceat, cui lubeat.* Junge huic *Martinum Becanum*, l. I. Man. c. 13. p. 376. *Lex continentiæ*, ſeu cælibatus, *ſemper viguit in Eccleſiâ Occidentali,* (niſi quod in quibusdam locis particularibus aliquantum fuerit neglecta) *at in* Orientali *non item. Nam* Græci, *etiamſi poſt ſuſceptos ordines non ſoliti ſint uxores ducere, tamen ſi anteà duxerint, poſſunt ordines ſuſcipere, & ſimul uxores retinere, nec tenentur ab eorum conſortio abſtinere, niſi tempore vicis ſuæ, ſicut in V. T. factum eſt.* Conſpirant cum Becano *Forerus* ſocius, in ſcripto poſthumo: Wunder über Wunder/ pag. 374. & *Job. Bonderius* Dominicanus p. 61. Comp. Sed audiamus etiam *Stephanum III*. Pont. Rom. *Aliter* (ſcribit) *ſe* Orientalium *traditio habet Eccleſiarum, aliter hujus* S. Romanæ *Eccleſiæ. Nam earum* (Orientalium) *Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi, matrimonio copulantur. Iſtius autem Eccleſiæ,*

cleſiæ, (Occidentalis) *nullus ſacerdotum, à Sub-Diacono usque ad Epiſcopum, licentiam habet conjugium ſortiendi.* Nec *Gregorium* M. nec *Innocentium III.* ab his recedere, probat *Ferdinandus de Mendoza*, vid. Tom. I. Conc. p. 1214. 1215. in nunquam ſatis laudato ſcripto, ad Clementem VII. de confirmando Concilio Illiberitano. Adducit etiam, quod Græci ad votum Continentiæ obligati non fuerint, cap. 14. Concilii Generalis Lateranenſis, ſub *Innocentio Tertio* habiti; cujus verba Græcè & Latinè ita ſonant.

Οἱ δὲ κατὰ τὸ τῆς χώρας αὐτῶν ἔθος μὴ τηρήσαντες τὴν γαμικὴν σύζευξιν, ἐὰν ὀλισθήσωσιν βαρύτερον κολασθήτωσαν, ἐπεὶ τῷ νομίμῳ συνοικεσίῳ δύνανται χρᾶσθαι.

Qui autem ſecundum regionis ſuæ morem non abdicârint copulam conjugalem, ſi lapſi fuerint gravius puniantur, cum legitimo matrimonio posſint uti.

Græca enim Eccleſia, licet hypocriſis varios quæſierit prætextus, nunquam recepit legem de cœlibatu miniſtrorum Eccleſiæ, ſed retinuit illam libertatem, quæ in NICÆNA & GANGRENSI Synodo ex verbo Dei comprobata & demonſtrata eſt, quam etiam *Callinicus* Patriarcha Conſtantinopolitanus canonibus nomine ſextæ ſynodi editis confirmavit. *Calv.* Op. Chronol. p. 505. Legi merentur de hac materia *Chemnitius*, Part. II. Loc. p. 209. *Calixtus*, de Conjug. Cleric. p. 166. *Haberkorn* in Vindic. Anti-Forero, diſp. 24. p. 547. Quanto cum Zelo Univerſa Orientalis Eccleſia, conſtitutiones Latinorum,

de Cælibatu Cleri, rejecerit, ex Canone XIII. Concilii Conſtantinopolitani III. conſtat. *Virorum qui in ſacris ſunt*, (ſcribunt Trullani Patres) *legitima conjugia etiam in poſterum valere volumus, nullo modo eorum cum uxoribus copulam diſſolventes, aut eos mutuâ conſuetudine, quæ congruo tempore fiat, privantes. -- -- -- Si quis igitur adverſus Apoſtolicos Canones inſurgens, auſus fuerit aliquos conſecratorum*, Presbyterorum dicimus, aut Diaconorum, CONSUETUDINE ET COMMERCIO LEGITIMÆ UXORIS PRIVARE, *deponitor.* Inter corruptelas etiam Romanæ Eccleſiæ, recenſetur à Photio Patriarchâ Conſtantinopolitano, *quod Sacerdotum irrita eſſe juſſerit connubia.* Vid. Epiſt. 2. eaque Encyclica Photii ad thronos Archiepiſcopales, edit. *Richardi Montacutii* p. 50.

Monachi ad normam Jeroſolymitanæ Eccleſiæ, (*Divum (a) Baſilium autorem ſuæ Regulæ ſequentes*) per totum vitæ ſuæ curriculum officia & (*b*) preces Eccleſiaſticas annorum, menſium, dierum, (*c*) horarum obeundo, devotioni & pietati vacant.

(*a*) Con-

(*a*) Conſentit cum autore noſtro *Chriſtophorus Angelus* c. 27. p. 52. Monachos (*ait*) quoque habent Græci, illos autem ſolùm, qui è præceptis & inſtitutis magni pendent *Baſilii.* Philippus Nicolai lib. vom Reich GOttes p. 8. de Muſcobitis hæc nos docet: Von München werden die Biſchoffe erwählet / welche zwar viel Klöſter / aber nur einerlei Ordnung und Kleidung haben / vom Heiligen Baſilio, ihrem Fürgeben nach / alſo angeordnet. Fhelavius tamen ex Neugebaurio, in notis ad Angelum p. 272. allegat: *Inveniri etiam in Muſcovia cœnobia S. Benedicti.* B. noſter *Martinus Chemnitius* Part. II. Loc. p. 209. Monachiſmi originem *Baſilio* tribuit. *Cum Baſilius in Eccleſiâ Græcâ Monachiſmum, exemplo Ægyptiorum, inſtituerat, reprehenſus à ſuâ Eccleſiâ & toto Clero Neocæſarienſi. Objecerunt autem: Gregorium Neocæſarienſem qui magnus &* θαυματουργὸς *appellatus eſt, talia non tradidiſſe.* Item, Part. 4. Exam. p. 230. *Baſilius* circa annum Domini 360. Inſtitutum Monachorum in Græciam introduxit. Monaſtica enim illa inſtituta, primùm in *Ægypto*, eo, ſicut Philo oſtendit modo cæpta, in *Syriam* progreſſa ſunt; inde per Euſtathium in *Armeniam* translata, poſteà verò per Baſilium *in Græciam*, per Epiphanium *in Cyprum*, per Ambroſium *in Italiam* deducta fuerunt. Vid. *Hoſpin.* de Orig. Monach. l. 3. c. 2. pag. 68.

(*b*) Ad preces Eccleſiaſticas annorum referri poſſunt LITANIÆ. A quo primùm fuerint indictæ, inter Viros doctos lis eſt. Hoc cer-

tum eſt: (*ſcribit* Binius Tom. IV. Conc. p. 1047. & 1569. 1570. *ex Garſia Loaiſa.*) Fuiſſe totius Eccleſiæ Catholicæ antiquiſſimum ritum, ſupplicationes publicas in calamitatibus & populi preſſuris habere. Orientales etiam Eccleſias uti Litaniis, conſtat ex *Baſilii* Epiſt. 63. ad Neo-Cæſarienſes, quas à S. Gregorio Thavmaturgo, in eâ Eccleſiâ (*Neocæſarienſi*) celebratas, & in more poſitas, tradit. Mamertus, vel Mammercus Viennenſis in Galliâ Epiſcopus uſum Sacrarum Litaniarum antiquitùs editum, diſciplinæ ſolutione & cultu remiſſiore neglectum, in Galliis, tempore Valentiniani III. Imp. Anno Chriſti 452. (*ut ſcribit* Ado Viennenſis) reſtituit, triduoque ante Aſcenſionem Chriſti, ſuo exemplo & experimento utiliſſimo, eas, quæ *Rogationes* appellatæ ſunt, & nunc ab Univerſa Eccleſia receptæ, celebravit. (NB. *In margine ad has notas Binii notârunt* Philippus Labbeus & Gabriel Coſſartius Jeſuitæ: *Errat hic Binius & Garſias. Verè enim Litaniarum autor & inſtitutor Primus fuit Mammertus.*) In Principio nullo ſtatuto tempore celebrabantur, ſed multoties & pluries, pro conſuetudine & devotione Eccleſiæ, & ingruentibus neceſſitatibus, cum auxiliares ſint, ad emolliendum cor populi ad pœnitentiam. Unde Gregorius M. urgente aliquâ neceſſitate, non tantum Romanis, ſed etiam exteris Litanias indicebat, & occaſione imminentis peſtis *Litaniam*, quam *ſeptiformem* vocant, inſtituebat. Hodie in Romanâ Eccleſiâ dividuntur Rogationes,

(*ſic enim Latinis vocantur Litaniæ*) in majores & minores. Majores in Eccleſiâ Romanâ celebrant *feriâ II. III. & IV. ante feſtum Aſcenſionis Chriſti*; minores die *S. Marci Evangeliſtæ.* Fiebant & aliæ Rogationes, ſive Litaniæ die Iduum Decembris ubique, ut conſtat ex V. Concil. Tolet. cap. I. & Conc. VI. cap. II. & Calendis Novembris, ut patet ex Concilii Gerundenſis Can. I. & Lugdunenſis Can. VI. Sed hæ poſteriores in deſuetudinem abierunt. His Litaniis adjungi poſſunt PRECES PRO DEFUNCTIS, quæ in Eccleſia Græca hodienum in uſu ſunt. Poſt Apoſtolorum ſcilicet tempora, humana illa erga demortuos affectio, cæpit orationes & oblationes pro mortuis in Eccleſiam invehere. Cum enim apud Gentiles magna pars religionis, oblationibus & orationibus pro mortuis ſerviret, & plerique Chriſtiani ex paganismo converſi eſſent & exiſtimarent: *Chriſtianam religionem non debere facere homines inhumaniores*; illam conſuetudinem orandi pro mortuis, ſicut alias multas, aliquantulum, *ut videbatur ad pietatem Chriſtianam reflexas*, retinuerunt. *Chemnit.* Part. III. Exam. p. 162. Hæ preces primùm privatim fiebant ab amicis, poſtmodum clerum invitabant. Ita enim de ſuo tempore Origenes lib. 3. in Jobum, (*quamvis an illi libri ſint Origenis dubitet Robertus Cocus in Cenſurâ Patrum p. 132. 133.*) *Celebramus memoriam defunctorum, Religioſos cum Sacerdotibus convocantes, fideles unà cum Clero invitantes.* Commemorationi autem recens defunctorum,

alii

alii deſtinabant *tertium*, *nonum* & *quadrageſimum diem* ab obitu. Alii *tertium* & *trigeſimum*; alii *ſeptimum* & *trigeſimum*, ac denique *anno vertente* illorum memoriam celebrabant. D. *Quendſtadt* de Sepulturâ Veterum, p. 299. Græci, pro unoquoque in fide decedente, *primo* poſt obitum ejus die, *tertio*, *nono*, *vigeſimo*, *quadrageſimo*, deinde poſt menſes *tres*, & rurſus *poſt ſex*, & denique *poſt annum* orant. Præterea quoties cognati ac neceſſarii id ipſum defuncto præſtare voluerint, non prohibentur. Metroph. *Critopulus*, Conf. p. 148. Rationes autem cur die tertiâ, nonâ, & quadrageſimâ, preces pro defunctis offerant, leguntur apud Cruſium Turco-Græciæ, pag. 203. Mortuis perſolvuntur tertia, & nona, & quadrageſima. *Tertiâ*, quod mortuus die tertiâ immutetur agnitione faciei amiſſa. *Nonâ* quod totum corpus nono die diffluat, præter cor. *Quadrageſimâ*, quod quadrageſima die ipſum cor pereat. Quæ præterea annorum, menſium, & dierum ſint preces & officia Eccleſiaſtica, *ex libris Eccleſiaſticis* Græcorum inveſtigandum erit, præſertim ex MENÆO, libro duodecim voluminibus comprehenſo, in quo ſinguli menſes, ſingula explent volumina, ſingulis diebus unius, vel plurium S. officium, quorum ſolennitas eo die celebratur, ordinatur. Leo *Allatius* diſſ. I. de lib. Eccleſiæ Græcæ p. 78. *Nimii autem ſunt Græci in cultu imaginum*, *veneratione*, *invocatione ſanctorum*, *præſertim* τῆς θεοτόκου, uti infra pluribus dicetur.

(c) Ho-

(c) Horarum facit mentionem noſter Autor, quas Canonicas vocat Eccleſia Romana, *Septem* verò ſingulis diebus HORÆ ſunt CANONICÆ. *Rhegino* Abbas de diſcip. Eccl. c. 155. *Matutina*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Veſperæ* & *Completorium*. Primitùs *tres* tantum horæ inſtitutæ erant; poſtmodum *quinque*; donec *Baſilius* & *Benedictus* ex dicto illo Davidico, Pſal. 119, 164. Septies in die laudavi te; *ſeptenarium numerum* horarum excogitârunt. De Græcorum horis Canonicis ex libro ἀνθολ. dicto, hæc habemus. Mart. *Cruſius* p. 195. Turco-Græciæ. *Matutinus cantus obitur*. I. quia manè omnis Chriſtianus debet celebrare Chriſtum. II. quia manè venerunt mulieres portantes aromata ad ungendum Chriſtum. III. quia ipſe Dominus ſummo manè reſurrexit ex ſepulchro. *Veſperas autem canimus*, quia principium eſt noctis & finis diei, & laudamus Deum in principio & fine, nunc & ſemper, & in omnia ſecula. (*Antiquitus enim Veſperas poſt ſolis occaſum, ad finem diei, decantari fuiſſe ſolitas, probari poteſt ex Chryſoſtomi Homil. 19.* ad populum Antiochenum, & Homil. 14. lib. ad Timoth. *Garſias Loaiſa* in Conc. Emeritenſe Tom. VI. Conc. p. 519.) Inter ὄρθρον autem & ἑσπερινὸν inter jacent aliæ horæ Canonicæ. *Prima hora*; quia principium eſt diei, & monſtrat nobis illam lucem, quam Deus nobis donavit, educens nos è tenebris & in luce æternæ vitæ ponens. *Tertia*; quia tunc deſcendit Spiritus Sanctus in Apoſtolos, illuminans eos, &

ipſi

ipſi mutârunt linguas ſuas, ut proficiſcerentur ad prædicandum Evangelium, toti orbi terrarum. *Sexta;* quia tunc in crucem Chriſtus ſublatus fuit, in quâ pependit usque ac nonam. *Nona;* quia tunc expiravit Dominus. *Apodipna (quaſi dicas poſtcænia)* canuntur, quia cubitum ituri ſumus. Ideo Deo gratias agimus petentes, ut nobis Spiritum ſuum S. mittat, qui nos à laqueis Diaboli cuſtodiat, ne is nos ad libidinem ſuam ſupplantet. Martinus Cruſius loc. cit. Puriori ævo, cum adhuc fidelium fervor intenſisſimus eſſet, *plebs æquè* ac *Clerus preces illas horarias frequentabat.* Sed labentibus ſeculis, ubi ardor ille tepuit, munus illud, vel quod tum putabatur onus orandi, ad ſolos ità dictos *religioſos*, Clericos, *Monachos* devolutum eſt, iisque de liberali victu fuit proſpectum, ut horis per ſacros canones prædefinitis, nomine totius Eccleſiæ Deum deprecarentur, & quod olim ab omnibus fidelibus ter erat factum, hi ab aliis negotiis exemti, ſepties facerent. *Hildebrand.* de Precibus Veterum p. 87. Græci Monachi *ter indies in templis orant, Veſperi, manè item, de mediâ nocte incipientes, nec non in meridie.* Præter iſtas commemoratas precationes alias privatas habent, quæ unicuique in ſuo cubiculo ſeorſim ſunt peragendæ. *Critopulus* Conf. pag. 145. *Fhclavius* in notis ad Angel. pag. 139.

Ex

Ex quorum numero (pietatis, ſanctimoniæ, S. Scripturarum (*a*) Conciliorum S. Patrum, doctrinæ ratione habitâ) (*b*) Subdiaconi, Erodiaconi, (*c*) Archidiaconi, (*d*) Eromonachi, (*e*) Abbates, Archimandritæ, (*f*) Exarchæ & (*g*) Patriarchæ.

(*a*) Eccleſia Chriſtiana duplici jure olim regebatur, & adhuc apud Græcos regitur. DIVINO & CANONICO. Ac *Divinum* quidem jus, codice S. Scripturæ: *Canonicum* verò, codice Canonum continetur. Itaque in *Conciliis* duo illi codices in medio conſeſſus poni ſolebant, ut ex eorum jure Epiſcopi inter ſe dogmata pietatis explorarent, obortas hæreſes refutarent, & controverſias ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſacramque πολιτείαν pertinentes, dirimerent. Canones verò Conciliorum quos univerſa Eccleſia maximi faciebat, ſunt Canones *Concilii Nicæni Oecumenici* XX. *Ancyvani* XXV. *Neocæſarienſis* XIV. *Gangrenſis*, XX. *Antiocheni* XXV. *Laodiceni*, LIX. *Conſtantinopolitani* Oecumenici II. VII. *Epheſini* III. Oecumenici Concilii VIII. & IV. Oecumenici Concilii *Chalcedonenſis* Canones XXV.

B Codi-

Codicem horum Canonum, A. Seculi hujus decimo, publici Juris fecit *Chriſtophorus Juſtellus*, Gallus. Vid. *G. Theod. Mair.* Hiſtoricam relationem de Canonum collectionibus §. 30. 31. Poſtea Oriens Occidentem imitatus, multis novis canonibus iſtum codicem adaugere, moribus ævi convenientibus, amavit. Nam PATRES TRULLANÆ SYNODI Codici Canonum Univerſæ Eccleſiæ adjecerunt *Apoſtolorum dictos Canones* LXXXV. *Sardicenſes* XXI. *Africanos* CXXXVIII. quibus & ipſi SUOS CII. junxerunt. Qui ergò antè CCVII. *nunc quingentorum quinquaginta & trium Canonum* Codex habebatur. Tandem Synodus *Nicæna II.* adhuc *alios Canones* XXII. addidit, adeò, ut Codex Orientalis Eccleſiæ DLXXV. *Canones* haberet, niſi quod SEXTA SYNODUS profitetur, admittere ſe præterea quædam *Nectarii* Conſtantinopolitani; Et *Theophili*, qui fuit Alexandriæ Epiſcopus, Quin etiam Canones *Dionyſii*, qui fuit Archiepiſcopus magnę Alexandrinorum civitatis, & *Petri*, qui itidem fuit Alexandriæ Epiſcopus & Martyr: *Gregorii Neocæſareæ* Epiſcopi, qui θαυματουργὸς dictus eſt: *Athanaſii* Alexandrini Epiſcopi: *Baſilii* Archi-Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ: *Gregorii* Epiſcopi Nyſſæ: *Gregorii Theologi: Amphilochii* Iconii: *Timothei* Archiepiſcopi Alexandrini: *Cyrilli* ejusdem Alexandriæ Archi-Epiſcopi; & *Gennadii* præterea; & *Cypriani* Canones. Hunc Canonum Orientalium Codicem Anno 1540. integrè primum evulgavit *Johannes Tilius* Epiſcopus Meldenſis.

Ex

Ex his liquet, quare à Monachis, qui ad dignitates ampliores ſunt promovendi, poſtuletur: ut in SCRIPTURA SACRA, ſcriptis PATRUM & CONCILIORUM ſint exercitati? quo nimirum in Synodis, exortis circa fidem moresque controverſiis & hæreſibus, eò facilius, quid S. *Scripturæ*, quid *Conciliorum* Sanctionibus conſonum ſit, cognoſcere & in puritate priſtinâ Eccleſiam conſervare poſſint. CONCILIA verò, quæ apud Græcos in maximâ Autoritate & veneratione ſunt, habentur ſeptem. NICÆNUM I. contra *Arium*: CONSTANTINOPOLITANUM I. contra *Macedonium* celebratum. EPHESINUM *Neſtorio* oppoſitum; CHALCEDONENSE *Eutychi*; CONSTANTINOPOLITANUM II. contra *Origenem*; CONSTANTINOPOLITANUM III. contrà *Monotheletas*; NICÆNUM II. contrà *Iconomachos* congregatum. Vid. *Cruſii* Turco-Græcia p. 48. 49. 50. *Photii* Epiſtola I. ad MICHAELEM Bulgariæ Principem.

(*b*) SUB-DIACONORUM hodie officium idem ferè eſt, quod quondam DIACONORUM, quod in eo erat: *ut oblationes fidelium, quæ pro ſuſtentatione pauperum & miniſtrorum Eccleſiæ contribuebantur, colligerent, præfecti eſſent theſauris Eccleſiæ, & indè pauperum, præcipuè vero miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem procurarent.* Hoc officium obire poterant, qui etiam literis inſtructi non erant, modo eſſent probatæ vitæ. Hinc ii, qui ad hoc officium promovebantur, SUB-

DIACONI vocabantur, reſpectu aliorum, qui docti & ad ſublevandam aliquam partem miniſterii Epiſcopi & presbyterorum adhibebantur, ut: *ad prælegendam Evangeliorum pericopen; ad admonendum populum:* UT INTENTI ESSENT ET CORDA HABERENT AD DOMINUM; & ſi quæ ſunt ſimilia, quæ *Hieronymus* ad Ruſticum commemorat. *Chemnit.* Part. II. Exam. p. 397. Horum officium quia erat præſtantius, & ad res ſacras propius accedebat, *Ero-Diaconi*, ſive *Hiero-Diaconi*, DIACONI SACRI vocabantur.

(c) ARCHI-DIACONI ſunt primi Diaconorum, qui inter Diaconos diutiſſimè fuerant. Hinc plerunque non tàm eliguntur, quàm à tempore conſtituuntur. *Matthias Martinius* in Lexico. *Urbani* Papæ decreto nemo eligendus erat in Archi-Diaconum, niſi fuiſſet Diaconus. Quod decretum *Calixtus* & *Innocentius* II. comprobârunt, Archi-Diaconus is debet eſſe qui prudentiâ & vitæ merito inclareſcit. Eſt coadjutor Epiſcopi in ordinatione Clericorum. *Iſidorus Hiſpalenſis*, Epiſtolâ ad Ludefridum Epiſcopum Cordubenſem. p. 615. Op. *Iſidori.* officium *Archi-Diaconi* deſcribit his verbis: *Archi-Diaconus imperat Sub-Diaconis & Levitis.* (qui ipſi ſunt Diaconi) *ad quem etiam pertinent miniſteria: Ordinatio veſtiendi altaris; cura incenſi; & ſacrificii neceſſaria ſolicitudo. Quis Levitarum* APOSTOLUM & EVANGELIA *legat? Quis preces dicat, ſeu reſponſorium in* Dominicis diebus,

bus, *ſeu* ſolennitatibus *decantet? Solicitudo quoque Parœciarum & ordinatio & jurgia pertinent ad ejusdem curam: pro reparandis Diœceſanis Baſilicis ipſe ſuggerit ſacerdoti: ipſe inquirit Parœcias cum juſſione Epiſcopi; & ornamenta, vel res Baſilicarum, Parœciarum geſta, & libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem refert. Collectam pecuniam de communione, ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & clericis proprias partes idem diſtribuit. Ab Archi-Diacono nunciantur Epiſcopo exceſſus Diaconorum. Ipſe denuntiat in ſacrario* ſacerdoti jejuniorum dies *atque* ſolennitatum. *Quando Archi-Diaconus abſens eſt, vicem ejus Diaconus ſequens adimplet.* Archi-Presbyter verò ſe eſſe ſub Archi-Diacono, ejusque præceptis, ſicut Epiſcopi ſui, ſe ſciat obedire. Hæc *Iſidorus. Subſcribere* Archi-Diaconum *etiam in Conciliis voce conſultativâ & deciſivâ*, probat Garſias *Loaiſa* Archi-Diaconus *Toletanus* ad Conc. TOLET. IV. Tom. V. Conc. p. 1730.

(*d*) Moris eſt apud Græcos, ut quotquot literarum rudes ſunt, manibus in monaſteriis opus exerceant. Atque hinc adeò in quolibet monaſterio reperire licet fabros ferrarios, ſartores, ædificatores, coriarios, ſutores, textores, & ſi quæ alia ars ipſis eſt utilis, unde & ſeipſos ſuſtentare & egenos ſublevare poſſunt, & ſæpè quoad poſſunt, etiam ſublevant. Omnes enim hoſpites benignè excipiunt, iisque diebus, quibus permanent, menſæ faciunt participes, abeuntes etiam, quoad ejus fieri poteſt, viatico inſtruunt. *Metroph.* Conf. p. 146. *Ang.* c. 28. *Fhe-*

lav. p. 170, 171. Et hoc etiam quondam apud Monachos Ægyptios in uſu erat, de quibus *Sozomenus* lib. 6. cap. 28. *M. Ant. de Dominis* lib. IX. de Rep. Eccl. c. V. p. 44. num. 51. 52. Serapion autem circa Arſenoitem degens, habens ſub ſe Monachorum circiter 10000. quos omnes ſic inſtituit: *Ut propriis laboribus neceſſaria conquirerent, & aliis quoque egenis illa ſuppeditarent. Meſſis tempore, pro mercede metentes, ſufficiens ſibi frumentum reponebant*, & reliquis quoque Monachis tradebant. Hoſpinianus lib. III. de Orig. Monach. c. IX. p. 113. Caſſianus Sozomeno jungatur. Per Ægyptum Monachi ad labores & manuum ſuarum opera ita ſunt adacti, ut non tantùm peregrè advenientes fratres commodè excipere potuerint, verùm etiam per loca Lybiæ, quæ ſterilitate & annonæ penuriâ laborant, imò etiam iis, qui per civitates in carcerum ſqualoribus contabescebant, alendis, plurimum alimoniæ mittentes contulerint. Caſſianus lib. X. c. 3. de Spiritu Acediæ. Cum enim otia dent vitia, Græci ſuos Monachos his laboribus occupatos eſſe voluerunt, ne, nihil agendo, malè agere diſcant. Hinc etiam S. Hieronymus Ruſticum Monachum exhortatur; *Ne otioſus unquam ſit, ſed vel fiſcellam texat junco, vel caniſtrum lentis plectat viminibus, humum ſarriat, areolam æquo limine dividat, plantas per ordines ponat, aquas irriguas ducat, texat lina capiendis piſcibus*. Camerar. *Op. ſubciſ. Cent. II.* c. 74. p. 294. Hi Monachi COMMUNES vocantur. Qui vero inter Monachos literis ſunt

instru-

inſtructi, illis creduntur ſacra miniſteria & ſacerdotium. Hinc Eromonachi, ſive HIEROMONACHI, vel ἱερεῖς Μόναχοι, vel ἱερωμένοι Μόναχοι, nuncupantur.

(s) Caſſianus lib. III. c. 3. de Canone nocturnæ Orationis refert: Apud Ægyptios neminem eligi fratrum congregationi præficiendum, *niſi qui ipſe prius obediendo didiciſſet, quid obtemperaturis imperari oporteret, & Seniorum inſtitutis aſſequutus fuiſſet, quæ junioribus tradi deberent.* Hoc etiam GRÆCOS obſervare, teſtis eſt noſter EUSTRATIUS; Cum in Latinâ Eccleſiâ hodiernâ ſæpiùs prius ABBATES fiant, quam diſcipuli fuerunt.

Abbates verò & ARCHIMANDRITÆ, aliàs unum idemque ſunt, hic cur ab AUTORE noſtro ponantur quaſi diverſa eſſent officia, primo intuitu non liquet. *Mandra quoque* (ſunt verba Conr. *Rittershuſii* Expoſit. Method. ad Novell. part. I. c. 6. p. 70.) *pro Cœnobio ſeu Monaſterio uſurpatur, quo tamen aliàs ſpelunca, vel latibulum ſignificatur.* Ideò Archimandritam vocârunt PRINCIPEM monaſterii, qui uſitatiore vocabulo ABBAS dicitur. Archimandrita vocabulum Græcum eſt; Abbas autem Syriacum, ſignificatque Patrem. Unde Ægyptii Monachos vocârunt NONNOS (inde apud nos manſit Nonna id eſt Monialis) hoc eſt, filios, ab Ebræo נין ut notat ex Eraſmo Sixtinus ab *Amama* Antibarb. Biblici p. 275. Apud *Carolum* verò *Du Freſne* legi: *Archimandrita ſæpius idem eſt* quod

EPISCOPUS & ARCHI-EPISCOPUS. Et quoniam noſter EUSTRATIUS Epiſcoporum & Archi-Epiſcoporum non meminit, nullus dubito, quin hos, per Archimandritas, intellectos velit, dum Abbati Archimandritam contrà diſtinguit. Part. II. *Gloſſarii* p. 382.

(*f*) Vocabulum ἜΞΑΡΧΟΣ, juxtà ſtylum Eccleſiaſticum πολύσημον eſt. *Martinius* in Lexico ſcribit, *Chorepiſcopos* Exarchos vocari. Tales CHOREPISCOPI dantur hodiè in Eccleſiâ Græcâ ALEXANDRINA, ut patet ex Confeſſione Cyrilli Papæ ALEXANDRINI ad Joh. *Utenbogaërt*. Ep. Præſt. Viror. in *Belgio* p. 409. CHOREPISCOPI autem vicarii ſunt, differunt ab Epiſcopis, quia Epiſcopi in proprio Epiſcopatu ordinare, conſtituere & diſpònere poſſunt pro lubitu; Chorepiſcopi vero ſine ſuperioris facultate non poſſunt. Calixtus in Apparatu pag. 217. Hugoni *Grotio* Ἔξαρχος PRIMAS eſt. Sic enim in literis ad G. I. Voſſium Ep. Præſt. Vir. in Belgio, *Quæ Pontifex contrà jura* REGUM, *addo etiam* Epiſcoporum Metropolitarum *&* ἐξάρχων SIVE PRIMATUM *fecit*, *facitve*, *ſemper improbavi*; *ſemper improbabo*.

Primatis nomen illi Epiſcopo dabatur, qui in illa civitate erat, quæ Provinciæ totius vocabatur *Metropolis*. Patet hoc ex Canone II. Concilii TAURINENSIS Anno 397. habiti. Certabant in illo Concilio de Primatûs honore *Arelatenſis* & Viennenſis in Galliâ Epiſcopi. Concilium hanc fert ſententiam: *ut*, *qui ex eis comprobaverit*,

baverit, ſuam civitatem eſſe Metropolin, is totius provinciæ Primatûs honorem obtineret. *Petrus de Marca* Archi-epiſc. Pariſienſis ad Concil. *Claromontanum* T. X. Conc. p. 527. & ſeqq. In Africâ vero res aliter ſe habebat. PRIMAS nuncupabatur, ſeu primæ ſedis Epiſcopus, qui ex Epiſcopis ordinationis tempore ſuos collegas anteibat. *Primatus honor non ad locum erat alligatus, ſed ſeniorem Epiſcopum ſequebatur.* Hincmarus tria recenſet Primatum genera. I. qui ſunt *Metropolitani* II. qui alios *Metropolitas ſibi ſubjectos* habebant, *quemadmodum in noſtrâ Germaniâ erat Archiepiſcopus Magdeburgenſis.* In oriente præter Epiſcopos Alexandrinum & Antiochenum, erant tres alii Primates, ſive *Exarchi Diœceſium*, ſcilicet EPHESINUS Aſianæ; CÆSARIENSIS Ponticæ; HERACLEENSIS Thracicæ Diœceſeos præfecti. Qui Metropolitanos ſibi ſubditos plerunque ordinabant, & Synodos Diœceſanas indicebant, ſed à nullo Patriarchâ pendebant in adminiſtratione Diœceſium, & pari ferè jure fruebantur in ſuis Diœceſibus, quo *Alexandrinus* & *Antiochenus*, qui potiores erant tantùm dignitate. *Hi tres Exarchi ſubditi ſunt ſedi Conſtantinopolitanæ* Can. 28. Concilii CHALCEDONENSIS. Translatâ illorum poteſtate in Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſolum Exarchorum nomen illis relictum eſt & conſeſſus prærogativa in Conciliis Oecumenicis. III. *Primates* ſive ἔξαρχοι διοικήσεων vocabantur ipſi *Patriarchæ*. Zonaras ad Can. 157. Cod. Canonum Univerſæ Eccleſiæ

ſcribit: *Ἐξάρχους δὲ τῶν διοικήσεων τοὺς πατριάρχας εἶναι φασίν.* *Exarchos Diœceſium Patriarchas eſſe dicunt.* Cruſio ὁ ἔξαρχος eſt LEGATUS *aut Vicarius* PATRIARCHÆ, aut Metropolitæ; ſicut nos legatum Apoſtolicæ ſedis dicimus. Tales EXARCHI ſunt Epiſcopus HERACLEENSIS ET THESSALONICENSIS. Turco Græciæ p. 192. Sed plures Exarchos habet Eccleſia Conſtantinopolitana quam hos duos. In ſubſcriptione enim Concilii Anno 1642. ſub *Parthenio* contrà Cyrillum Conſtantinopoli habiti, *Metropolitanus* CIOBIÆ, *ſe Exarchum Sancti Apoſtolici throni* CONSTANTINOPOLEOS *vocat.* Pertinebat enim jurisdictio Civilis RUSSIÆ MINORIS, ſive nigræ, hactenus ad REGEM & Rempub. POLONORUM. Et quoniam Poloni exiſtimârunt in ſuam vergere injuriam, ſi cauſæ in ſuis provinciis ortæ, judicandæ traherentur ad ſedem Conſtantinopolitanam & extra fines Regni; neceſſe habuit Patriarcha Conſtantinopolitanus (*omnimodam fortè ſeceſſionem ut in Muſcovia factum metuens*) Archi-epiſcopo KIOVIENSI, utpote Metropolitano, Ruſſiæ ſolicitudinem commendare.

(g) *Patriarchæ* erant Epiſcopi urbium priſci Romani imperii primariarum. [*Quæ enim Binius, Baronius & alii Pontificii, de prærogativâ ſedium Patriarchalium afferunt, quod ideo hoc fruantur privilegio*, quia à S. Petro ſint inſtitutæ & fundatæ; *doctè refutavit, M. Antonius de Dominis* lib. 3. de Repub. Eccl. c. X.] Harum urbium

I. erat

I. erat ROMA in Italiâ. II. ALEXANDRIA in Ægypto. III. ANTIOCHIA in Syriâ. Poſtquam autem *Byzantium* in ſedem Imperii à *Conſtantino M.* evectum eſt, & ab eo CONSTANTINOPOLIS vocata, crevit Epiſcopi *Conſtantinopolitani* autoritas, ut Alexandrino & Antiocheno Epiſcopo præponeretur, B. Calixtus in Apparatu p. 208. M. Ant. de Dominis lib. IV. de Rep. Eccl. c. IV. (*eò quod* CONSTANTINOPOLIS *eſt nova* Roma) & primum poſt Epiſcopum Romanum obtineret locum. Hæc Patriarchæ Conſtantinopolitani Prærogativa, confirmata eſt in concilii CHALCEDONENSIS can. 28. Tandem, quod HIEROSOLYMA reliquarum Eccleſiarum mater eſſet, & Dominus noſter JESUS CHRISTUS ſuâ præſentiâ ac morte eam nobilitâſſet, Epiſcopus etiam HIEROSOLYMITANUS, in Patriarcharum numerum receptus eſt.

Qui in ſupremo gradu officii & honoris Eccleſiaſtici non plures, ſed tantum quatuor habentur. *(a)* Hieroſolymitanus. *(b)* Antiochenus. (c) Alexandrinus, & qui omibus Eccleſiis Europæis præeſt, quem

quem etiam *(d)* omnes Rutheni pro ſuperiore agnoſcunt, *(e)* Conſtantinopolitanus.

(*a*) HIEROSOLYMITANUS Patriarcha hunc honorem obtinuit in Concilio Nicæno primo. *Non tamen propterea à ſubjectione* Cæſarienſis, qui Metropolitanus *erat eximebatur. Sev. Binius.* in notis ad Ep. III. Anacleti T. I. Conc. & T. II. Conc. p. 73. Seipſum vocat: Πατριάρχην τῆς ἁγιάς πόλεως Ἱερουσαλὴμ καὶ πάσης Παλαιστίνης. *Patriarcham* SANCTÆ URBIS JERUSALEM *& totius Palæſtinæ.* Subjacet ipſi Epiſcopus τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ καὶ ῥαιθοῦ. In urbe hodie, cujus titulum gerit reſidet. B. *Calixtus* in Apparatu p. 105.

(*b*) ANTIOCHENUS Patriarcha, poſtquam Antiochia in ſolitudinem propemodum eſt redacta, Damaſcum, in qua habitet, ſibi delegit. Martinius eum Σύρων καὶ Μαρωνιτῶν Πατριάρχην SYRORUM ET MARONITARUM Patriarcham vocat. Seipſum verò nominat Πατριάρχην τῆς μεγάλης θεοῦ πόλεως Ἀντιοχείας καὶ πάσης ἀνατολῆς *Patriarcham magnæ civitatis Dei* Antiochiæ, *& totius Orientis.* Sæpius in ſubſcriptionibus Conciliorum ΘΕΟΥ´ΠΟΛΙΣ pro ANTIOCHIA ponitur. Sedis Antiochenæ Amplitudinem ex Theodoreti & Innocentii Epiſtolis deſcribit Baronius T. VI. Annalium A. 448. n. 12.

(*c*) ALE-

(c) ALEXANDRINUS Patriarcha apud Martinium τῶν κοφθιτῶν Πατριάρχης audit COPHTORUM *ſive* ÆGYPTIORUM *Patriarcha.* Titulus ei hodie eſt Πάπας καὶ Πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ κρίτης τῆς οἰκυμένης. Papa & Patriarcha magnæ civitatis Alexandriæ & judex Orbis terrarum. *Vid. literas & teſtimonium ab hoc Patriarchâ* Illuſtriſſ. ALBERTO Comiti à Löwenſtein *datas. Chytræus* p. 74. 76. Idem conſtat ex literis *Gelaſini Papæ Alexandrini* A. 1629. d. 18. Julii datis quas allegat Fhelavius in notis ad præfat. lib. Chriſtoph. Angeli. Si Binio credimus, *Cyrillo Alexandrino, Præſidi* CONCILII EPHESINI, *& ejus ſucceſſoribus*, mitra quâ Romani Pontifices utebantur, miſſa eſt, *conceſſumque à Pontifice*, ut UNIVERSI ORBIS JUDICES appellarentur. *Tom. III. Conc.* edit. Labb. p. 1143. Subjacent ipſi ex decreto Synodi Nicænæ, Ægyptus, Lybia & Pentapolis. Hodie in Cairo *ſive Al-Cair* ſedem Epiſcopalem habet. *Chorograph.* S. P. *Geslin.* pag. 25. Accipit ab hoc Patriarchâ *ſuum Abuna* Presbyter Johannes, vel *precioſus Johannes*, vel PRESTEGAN Rex Abyſſinorum. *Calixtus* in Apparatu p. 103.

(d) Quæ de RUTHENIS, ſive Ruſſis autor noſter ſcribit, ſine dubio de Ruſſis nigris, Regni Poloniæ ſubditis vera ſunt. Evolventibus enim Synodum, Conſtantinopoli à PARTHENIO contra Cyrillum Lucarim habitam Anno 1642. occurrunt ſtatim poſt ſubſcriptionem Pa-

triarchæ Conſtantinopolitani PARTHENII, hæc verba: *Synodicæ huic Epiſtolæ, Sanctiſſimi Patris & Paſtoris noſtri* PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI, *conſentiens in omnibus, ego* Petrus Mogilas *humilis Archiepiſcopus, Metropolitanus* CIOBI & HALICIÆ & omnis RUSSIÆ, EXARCHUS Sancti Apoſtolici Throni Conſtantinopoleos, Archimandrita Lauræ Pietzarii, *ſubſcribo meo nomine, tum nomine omnis Eccleſiæ Chriſtianæ, Orthodoxæ & Catholicæ,* quæ eſt in RUSSIA MINORE. Duo à Tartaris captivi Ruſſi ſtipem colligentes, cum ex iis quæſiiſſem, quo loco haberetur Patriarcha Ruſſorum Ciobienſis? reſponderunt: *Eſt Patriarchæ Conſtantinopolitani ſuffraganeus.* Er iſt wie hierauſen der Weih-Biſchoff. Aptiore ſcilicet Vocabulo germanico deſtituti, cum ſit throni Conſtantinopolitani Exarchus, reddiderunt: Er iſt wie der Weih-Biſchoff. An autem Ruſſi albi, ſive Muſcobitæ ipſius ſuperioritatem hodiè agnoſcant, usque adeo certum non eſt. Audiamus B. Calixtum Apparatu p. 97. *Ruſſia ante annos plus ſexcentos, ſub principe Woladimere, affinitatem cum Græcis Imperatoribus contrahente, à Græcis Chriſtianam religionem, ſuosque primos Doctores accepit. Ideo & in ritibus plurimum convenit, & Conſtantinopolitanum veneratur. Habet autem hodie* Muſcovia *proprium* Patriarcham *qui à* Conſtantinopolitano *nunc quidem neque dependet, neque confirmatur, & fortè inter utrumque non adeò frequens intercedit κοινωνία. Eam enim interrumpit*

non

non modo diſtantia locorum, & difficultas itinerum; ſed inprimis diverſitas Imperiorum. P. Geslin. in Chorographia Sacra de Moſcis hæc annotavit. Die Muſcobiter ligen gegen Mitternacht und halten es mit der Griechiſchen Kirchen/dem Papſt ſind ſie nicht unterthan / ſondern den Patriarchen zu Conſtantinopel. -- Es pflegen die Reuſſen oder Muſcobiter von den Patriarchen zu Conſtantinopel zu dependiren / aber von wegen deß Haſſes und Feindſchafft ſo ſich zwiſchen den Türken und Muſcobiter enthalten / iſt ſchlechte Vertraulichkeit zwiſchen ihnen. Legi etiam volo, quæ de Patriarcha Ruſſorum in Itinerario Perſico notavit Olearius. Der Patriarch iſt vor dieſen von den Metropoliten / Ertz-Biſchoffen/ und Biſchoffen *per vota* erwehlet/von den Groß-Fürſten confirmiret / und von den Patriarchen zu Conſtantinopel eingeſalbet worden / dieſer aber iſt per ſortem erwehlet / und durch die Cleriſei eingeweihet. Inchoatum hoc eſt ſeculo præcedenti à Duce Johanne Baſilio, qui, quem pro more Conſtantinopolitanus Patriarcha miſerat Mêtropolitam, eò quod ſua valdè carperet vitia & peccata, in carcerem conjecit, neque eo, quamvis ipſius Turcarum Imperatoris fatigatus precibus, liberavit. Unde deinde ipſi ſuum conſtituêre Patriarcham Moſcorum Duces, quem ſui Epiſcopi tùm ordinant. *Mittit tamen in ſignum priſtini moris ac ſubjectionis Muſcorum Imperator Conſtantinopolitano Patriarchæ* quotannis, ſed quaſi in Eleemoſynam, *quingentos aureos.* *Hornbeck* Summa Theol. p. 953. 954.

(e) CONSTANTINOPOLITANUS Patriarcha primus in ordine eſt inter Patriarchas Orientales ex decreto CHALCEDONENSIS Concilii. Vid. M. Ant. de Dominis lib. IV. de Rep. Eccl. c. IV. Subjacent ipſi *omnes Eccleſiæ Europeæ*, quæ cum Orientali communicant. Agnoſcunt etiam Jurisdictionem ejus Eccleſiaſticam, Aſia minor, *quæ hodiè Natolia* appellatur, & quædam *Inſulæ* in mari *Ægeo.* Calixtus in Apparatu p. 97. Vocatur Epiſcopus OECUMENICUS, quem titulum *Johannes* Jejunator, temporibus *Gregorii M.* ſibi ſumebat. Verum hunc titulum *Gregorius M.* ferrè non potuit, ſed ad Mauritium Imperatorem ſcribere nullus dubitavit: *Ego fidenter dico, quia quisquis ſe ſacerdotem Univerſalem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua* ANTI-CHRISTUM *præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.* Hodie tamen Gregorii M. ſucceſſores hoc titulo mirè ſuperbiunt. Sed nec Conſtantinopolitanus Patriarcha, dum Epiſcopus Oecumenicus vocari vult, in reliquos Patriarchas jus quoddam ſibi ſumit, quemadmodum à Romano Pontifice, vigore hujus tituli, fieri videmus. Abſit hoc! Sic enim nos informat Metrophanes Critopulus cap. 23. Conf. p. 160. *Ipſi autem* (Patriarchæ) *per ſe omnino in pari dignitate vivunt, neque ullum*, præter ſeſſionem, *diſcrimen intercedit.* Eſt ergo EPISCOPUS OECUMENICUS Græcis, *qui magnæ parti* τῆς οἰκουμένης *præeſt*, quo ſenſu omnes Patriarchæ Oecumenici dici poterant, inprimis tamen propter

pter eminentiam Imperatricium Urbium, Romanus ac Conſtantinopolitanus.

Sacerdotes autem quos Seculares nominavi, propinquiorem cum (*a*) Laicis converſationem habentes, (*b*) officiis & precibus Eccleſiaſticis æquè ut & Monachi inſiſtentes, Sacramenta Eccleſiaſtica omnibus fidelibus Laicis (*quod & Monachi, in officiis conſtituti, facere poſſunt*) adminiſtrant.

(*a*) Nimiâ familiaritate quæ etiam contemtum parit, Ruſſorum Popas peccare, teſtis nobis eſt Olearius; qui ſæpius eos verberibus benè unctos è tabernis exeuntes vidit. Itinerarii Perſici p. 176.

(*b*) De officiis & precibus Græcorum ſuprà mentionem feci, magnamque partem cultûs in adoratione τῆς θεοτόκυ, ſanctorum Martyrum & imaginum poſitam eſſe, aſſerui. Ægroti enim pro reſtitutione ſanitatis S. Mariæ ſupplicanr, quod de Zygomalâ teſtatur Cruſius. In Officio S. Olei; item in officiis agentis animam, ægrotus

ad Mariam ſolùm recurrit, hinc illæ preces: *De reliquo ad quem vociferabor? Quis doloris mei planctum & ſuſpiria cordis excipiet, niſi tu illibata* VIRGO? *Chriſtianorum & peccatorum omnium fiducia!* D. *Vejel* Exercit. Hiſtorico-Theol. de Eccl. Græcan. hod. p. 43. 44. *Chytræi* Orat. p. 15. & ſeq. Obſervârunt *viri docti*, B. Virginis, Sanctorum & imaginum cultum *cæpiſſe primùm in Oriente, propagatum fuiſſe in Occidentem* (*Conring.* in Ep. Conf. Critop. præfixâ) Origenes enim jam ſemina ſparſit Invocationis Sanctorum. A ſuccedentibus nonnullis Græcæ Eccleſiæ patribus defenſa eſt illa ſententia, donec tandem *Petrus Gnapheus* conſuetudinem introduxit, miſcendæ Invocationis S. inter publicas preces. *Ille enim* Gnapheus(*qui in* Concilio V. Univerſali *ut hæreticus damnatus eſt*) voluit, *ut in omni precatione nominaretur Dei genitrix, & divinum ejus nomen invocaretur.* Dn. *Beer* in der Anruffung p. 234. usque ad 290. Probè autem obſervandum eſt, quod duo integra ſæcula effluxerint, (*Origenes enim floruit* Seculo III. A. 240. *Petrus Gnapheus verò* Seculo V. A. 470.) antequam ſequior ſententia fuerit recepta & approbata. *Semper enim viri graves &* in autoritate conſtituti, *reperti ſunt, qui* Eccleſiam DEI *ad fontes veræ invocationis deduxerunt.* Seculo demum octavo in Cõcilio Nicæno II. unâ cum imaginum cultu invocatio Sanctorum ſtabilita eſt. Hoc tempore ſuperſtitioni & Idololatriæ apertæ ſunt fores, commenta miracula facta, ad preces Deiparæ fuſas. In Damas-

Damaſceni hiſtoriâ legimus, cùm à Leone Iſaurico unâ manu mutilatus eſſet Damaſcenus, quod ſtatim confugerit ad Mariam fervidèque ipſi ſupplicaverit, atque hoc pacto ipſum detruncatam manum, ſanitate reſtitutâ, accepiſſe. In hymnis invocat Mariam his verbis: *Invituperabilem ſpem tuam* Deipara *habens ſervabor, Defenſionem tuam poſſidens non timebo, &c. perſequar inimicos meos & in fugam vertam, ſolam habens, ut thoracem, protectionem tuam & omnipotens auxilium tuum.* Chemnit. p. III. Exam. p. 340.

Utriſque autem Monachis regularibus & ſacerdotibus ſecularibus in Eccleſiis (*a*) Conciones & ſacras (*b*) Liturgias peragere commune officium eſt.

(*a*) Monachis primò concionari & ſacras Liturgias peragere; conceſſum non erat. Hoſp. l. 3. de Mon. c. 13. p. 163. S. Bernhardus Serm. 64. Sup. Cant. ſcribit: *Monacho publicè prædicare non convenire.* Monachus enim (*juxta Hieronymum*) non doctoris, ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum luget, & Domini pavidus præſtolatur adventum. Caſſand. Conſult. Act. XXIV. p. 179. *Seculo VII.* Gregorius M. *Monachis prædicandi, baptizandi & abſolvendi poteſtatem dedit.* Bonifacius IV. hoc privilegium *Benedictinis* confirmavit. Seculo tamen adhuc

undecimo aliquos fuiſſe in ea opinione: *Monacho non licere prædicare, abſolvere & ſacerdotem eſſe:* arguunt verba Canonis 2. & 3. Concilii NEMAUSENSIS. Nunc de Concionibus Græcorum & Muſcobitarum aliquid dicendum erit. De Græcis ita *Gerlachius* ad Chytræum: *Conciones populares nullas, aut rariſſimas hîc habent, ſolâ Miſſarum celebratione ſuos paſcentes. In Cypro tamen & Candia aliquos eſſe qui populum publice doceant, audio. Hîc* Conſtantinopoli *unicus, quem ſciam, Calogerus fuit, qui feriis* Natalitiis, tempore Quadrageſimali & Paſchatis *nonnunquam concionatus eſt. Cruſius* in Turco-Græcia p. 197. 205. Item ad Martinum Cruſium: *Hodie unus* Conſtantinopoli Calogerus eſt, *qui in* Quadrageſimæ ſolum Dominicis *iis in templis, in quibus* Patriarcha Miſſas *celebrat, concionatur.*

Muſcovitarum autem conciones quod attinet citat verba Jovii, ſupra nominatus P. Geſſlin. Chorogr. S. p. 62. Sie haben die Homilias Auguſtini, Ambroſii, Baſilii, Nazianzeni und anderer deren Predigten müſſen die Prieſter dem Volk offentlich vorleſen. Dann ſie haben keine Prieſter mit Kappen. Weil ſolche dieſen Gebrauch an ſich haben/ daß ſie allzu groſſen Ehrgeitz und Subtiliteten gebrauchen/ wann ſie von Göttlichen Sachen reden. Und um dieſer Urſach halten ſie es nicht vor rathſam / ſolche unter ſich aufkommen zu laſſen. Dieweil ſie darfür halten / daß der Pöbel vielmehr von Sünden ablaſſe und ſich beſſere durch ſchlechte und einfältige Predigten / als

durch

durch hohe Diſputationes und Erklärung der Geheimniſſen. His conjungenda ſunt quæ ex parte III. Chron. Muſcovitici c. 25. pag. 291. Olearii, annotavit Fhelavius in Annotatis majoribus ad cap. XX. Angeli p. 231. Vor zwey Jahren hat ſich unterſtanden der Morumski Protopop Namens Logni zu predigen und angefangen neben etlichen bei ſich habenden Popen zu Morum und andern Städten mit offentlichen Predigten das Volk aus GOttes Wort zu lehren / zu vermahnen (daher man ſie auch Raſauſcha predigende Prieſter genannt) haben auch groſſen Zulauff gehabt. Als ſolches dem Patriarchen kund worden hat er eiferig darwieder gethan / die Prediger von ihren Amt abgeſetzet / mit ſonderlichen Ceremonien verfluchet / und in Ungnaden nach Siberien geſchicket. Scilicet placet illis illud S. Hilarii ſub finem lib. X. de Trinitate. *In ſimplicitate* fides eſt. *In fide* juſtitia eſt. *In Confeſſione pietas eſt. Non per difficiles quæſtiones ad beatam vitam nos Deus vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere ſollicitat. In abſoluto nobis & facili eſt æternitas:* Jeſum reſuſcitatum à mortuis per Deum credere, & ipſum ut Dominum confiteri.

(b) λειτουργία in Eccleſia I. *totum cultum* ſignificat. Juſtinianus Imp. Nov. VII. Sic loquutus: Ἐν οἷς ἱερὰ γέγονε λειτουργία τῶν δὲ θείων ἀναγινοσκομένων γραφῶν τῆς δὲ ἱερᾶς καὶ ἀῤῥήτου μεταδιδομένης κοινωνίας. In his fiebat ſacrum miniſterium tùm in ſacris ſcripturis legendis, tùm ſacrâ & ineffabili communione uſurpandâ. *Poſteà Liturgia*

ſpecialiter appellabatur celebratio Euchariſtiæ. *Caſaub.* Exerc. XIII. Sect. 41. p. 383. 384.

Monachi per totum vitæ ſuæ curriculum omni tempore, ab omni genere (*a*) carnium abſtinentes, ſolùm piſcibus (ſi habere poſſunt) butiro, caſeo, lacte, ovis, oleribus, fructibus & oleo veſcuntur. Secularibus verò & Laicis his prænominatis & carnibus veſci licitum eſt.

(*a*) Æmulantur hi moderni Græcorum Monachi, Monachos veteris Eccleſiæ. Cum enim benè eſſent memores, quod cœlibem vitam viverent, cavebant, ut par erat, magno ſtudio, ab omnibus quæ rerum Venerearum cupiditates irritare, aut etiam accendere ſolent. Ideoque victu uſi ſunt tenui inprimis & præparco, neque à carnibus modo, ſed etiam à piſcibus, pomis, herbis ſalacibus, vino & cæteris omnibus quæ aliquam libidinis materiam advehunt, accuratiſſimè abſtinuerunt. Fuſius victum Monachorum Græcorum deſcribit *Metrophanes* Critopulus Conf. c. 19. p. 144. *Conſtat leguminibus & oleribus quater in hebdomade modico oleo conditis,*

conditis, *Dominico nempè die*, *tertio*, *quinto & ſeptimo qui & Sabbatum vocatur; quibus diebus parum vini aquâ diluti accipiunt. Piſces quidem interdum comedere licet*, *verùm cum Monaſteria in montibus & deſertis ſita ſint*, *ægrè ſuppeditari queunt*, *ideoque illorum rariſſimè fiunt participes. Etiam ea quæ ex carne proveniunt*, *guſtare quandoque licet*, v. g. *lac*, *butyrum*, *caſeum*, *ova. Verùm per loci incommoditatem horum quoque penuriâ ut plurimùm laborant.* Carne veſcuntur nunquam, *non quidem ex lege Eccleſiæ; neque enim ejusmodi lex datur;* Neque propter votum; *nullus enim Monachorum noſtratium vovit* ſe carnem non comeſturum, *ſed ex ſolâ conſuetudine.* Critopulum excipiat Gerlachius in literis ad Cruſium: *Calogeri haud unquàm veſcuntur* carnibus, *ſed plerumque* piſcibus, *nec tamen niſi jejunio permittente. Cruſius* Turco-Græciæ pag. 273.

Jejunia omnibus communia (*a*) quatuor obſervant. Primum Quadrageſimale ante feſtum Paſchatos (*b*) octo ſeptimanarum. Secundum poſt feſtum Pentecoſtes, quod ad feſtum S. Apoſtolorum Petri & Pauli terminatur. Tertium

menſe Auguſti, circa Feſtum Transfigurationis Chriſti, duarum Septimanarum. Quartum, ante Natale Chriſti (*c*) ſex ſeptimanarum.

(*a*) *Critopulus* unius tantum jejunii quod Paſcha præcedit, mentionem facit. Conf. c. 18. p. 139. Rationes ob quas illo tempore jejunandum ſit, has affert: I. *propter Lapſum* primorum parentum. II. *propter Judæos*, quorum converſionem ſperant Græci. III. *propter mortem Domini* noſtri Jeſu Chriſti. Severinus *Binius* alias cauſas inſtituti jejunii quadrageſimalis allegat. Prima eſt, *ut Chriſtum qui eſt caput noſtrum quadraginta diebus jejunantem*, *noſtri cauſa patientem*, *nos quoque quantum poſſumus quidem* quadraginta diebus *jejunando*, *corpus noſtrum affligendo imitemur*. Secunda eſt, *ut Chriſtiani omnes*, pro negligentiis toto anno commiſſis, quaſi *communem & publicam pœnitentiam agant*. Tertia, *ut ad ſacram communionem* Paſchate ſumendam *omnes præpararentur*. Tom. I. Conc. pag. 60. edit. Labb. & Coſſartianæ. Aliam cauſam inſtituti jejunii quadrageſimalis ex antiquitate monſtrat B. Chemnitius: *quia nempe ante feſtum* Paſchatos *publicam agebant pœnitentiam* vel baptizandi, vel lapſi, *ut in* feſto *abſolverentur & baptizarentur. Chemnit.* part. IV. Exam. Conc. Trid. p. 212. Chriſtoph.

Angelus

Angelus de ſtatu & ritibus Græcæ Eccl. c. V. VI. VII. trium reliquorum jejuniorum cum *Autore* noſtro meminit; ita tamen ut reliqua tria jejunia non adeò ſint ſolennia & aſpera, ut jejunium magnæ quadrageſimæ. In jejunio magnæ quadrageſimæ à piſcibus & oleo (*præterquam* Annunciationis & Palmarum *feſtivitate*) abſtinent & μονοφαγίαν obſervant. In Quadrageſimâ vero Nativitatis Chriſti & Apoſtolorum Petri & Pauli non ſolum piſces, ſed iteratâ vice de die; In quadrageſimâ Virginis verò bis quidem de die, at piſces nequaquam comedere licet. *Chriſtoph. Angelus* cap. 8. *Fhelavius* in notis minoribus ad Ang. pag. 131. in Majoribus pag. 51. 52. *Olearius* Itin. Pers. p. 186. Tres aliàs apud veteres Chriſtianos erant jejunii ſpecies. *Primam*, *Tertullianus* vocat STATIONUM SEMI-JEJUNIA; *ſolvebantur horâ diei nonâ. Secunda ſpecies fuit* jejunium QUADRAGESIMALE, *quod ſub veſperam ſolvebatur. Tertia ſpecies jejunii fuit omnium ſtrictiſſima, & producebatur usque ad galli cantum & primæ lucis exortum*; quâ de cauſâ etiam ὙΠΕΡΘΕΣΙΣ *dicebatur*. Patres inter jejunium & ὑπέρθεσιν hanc faciunt differentiam: ὑπέρθεσις *eſt abſtinentia* à cibo usque ad galli cantum. *Jejunium vero ſumitur* pro inediâ usque ad veſperam *Henricus Valeſius* in Annotationibus ad Euſeb. p. 166.

(*b*) Octo ſeptimanas durare jejunium magnæ Quadrageſimæ, ſive ante Paſcha, ſcribit noſter Euſtratius, & hoc verum eſſe, alii confir-

mant. Octavâ enim Dominicâ ante Paſcha à carne abſtinent, caſeis tamen, ovis & aliis ex carne provenientibus veſcuntur. At finitâ illâ, etiam hæc exulare jubent. Audi L. B. Chriſtophorum Angelum c. XI. p. 25. *Octava Dominica ante Paſcha à* caſeis *nomen habet, eò quod* caſeis, ovis *& aliis hujus generis unctis, ſive aleimatibus veſcuntur. Lætantur vero Græci, hâc ipſâ die ſuprâ modum quod die ſequēti Lunæ dictâ, jejunium inchoaturi ſint.* Fhelavius in notis min. p. 132. Ex Euchologio Goaris hæc habemus: *Primâ itaque die* τυρίνην Sexageſimam *inſequente* jejunium aſperius *auſpicantur, & ad usque* Paſchatis *celebritatem à* piſcibus & oleo, *præterquàm* Annunciationis & Palmarum *feſtivitate, quacunque ratione delibandis abſtinent.* In Eccleſia Occidentali *Jejunium* ante Paſcha *quadraginta ſex dies durat, unde à numero rotundo* Quadrageſimale *dicitur.* Sed jam in primitivâ Eccleſiâ dies & tempus jejunii quadrageſimalis, non ut in uno loco, ſic quoque in alio obſervabantur. Irenæus, cujus Epiſtolam *Euſebius* lib. V. c. 24. hiſtor. Eccl. deſcribit, hæc nobis de jejuniorum diſſonantiâ exhibet. *Quidam* ante Paſcha unum diem *jejunant, quidam* duos, *alii vero* plures dies, *alii* quadraginta diurnas & nocturnas horas *ſupputantes pro die. Atque hæc in obſervando jejunio varietas non noſtrâ primum* ætate nata *eſt, ſed longè anteà* apud majores noſtros *cœpit;* qui negligentius, *ut veriſimile eſt,* præſidentes, *ex* ſimplicitate & imperitiâ *ortam conſuetudinem poſteris tradiderunt.* Lectu digna

ſunt

ſunt quæ ad hunc locum annotavit *Henricus Valeſius* p. 106. 107. 108. quæ appoſuiſſem, niſi nimis eſſent prolixa. Sed audiatur etiam *Socrates*, lib. V. c. 22. Qui in eâdem fide conſentiunt, in ritibus, ſeu ceremoniis inter ſe diſcrepant, *ut jejunia ante* Paſcha *ab aliis aliter obſervari inveniuntur. Nam qui* Romæ *ſunt* tres ſeptimanas ante Paſcha, *Sabbato & Dominicâ exceptis, jejunant*: Græci *verò*, Illyrici & Alexandrini, ante ſex ſeptimanas *jejunium quod ante* Paſcha fit, *jejunant*, Quadrageſimam *appellantes. Præter hos alii* ſeptem ſeptimanis *ante feſtum* initium jejunandi *faciunt. Et quamvis ſolos* quindecim dies *ex certis intervallis jejunent, nihilominus tamen & ipſi tempus illud* Quadrageſimam *vocant. Et* mirandum eſt, *cum de numero dierum diſcrepent, quomodo tamen omnes tempus illud* Quadrageſimam *appellent*. Bene S. Auguſtinus ep. 86. *Ego in Evangelicis & Apoſtolicis literis, totoque* inſtrumento *quod vocatur* N. Teſtamentum, *animo id revolvens, video præceptum eſſe* jejunium. *Quibus autem diebus oporteat jejunare, & quibus non oporteat*, præcepto Domini vel Apoſtolorum, *non invenio definitum.*

(c) De tertio & quarto Græcorum jejunio aliquid adjiciendum eſt. De tertio notat noſter *Autor: quod ſit circa feſtum Transfigurationis Chriſti.* Jacobus *Goarus* in Evchologio ſcribit: *Incipere primâ Auguſti, & finem ſortiri invigiliâ Aſſumtionis B. Virginis*, quod feſtum Mauritius Imp. ἔξοδον κόρης vocavit & in Eccleſiâ celebrari juſſit. In Menologio, ſive Calendario Græcorum

Tom.

Tom. IV. Biblioth. Patrum : *feſtum dormitionis Mariæ* vocatur. Quartum verò quod attinet jejunium, verum quidem eſt quod decimâ quintâ Novembris inceperit, & ad feſtum Nativitatis usque (h. e. ſex ſeptimanas) duraverit, unde τεσσαρακοντήμερον meruit appellari, attamen *frigidior Græcorum devotio ad dies ſeptem* contraxit. *Fhelavius* p. 133.

Monachi tempore jejunii quadrageſimalis ante Paſcha (*a*) ſolo pane, oleribus & fructibus, (*exceptis feſto Annuntiationis & Dominicâ Palmarum quibus piſcibus & oleo veſci licet*) tantum veſcuntur. Laicis verò & ſecularibus in Quadrageſimâ diebus ſolennium feſtorum, Sabbati & diebus Dominicis, piſcibus & oleo veſci licitum eſt.

(*a*) Fatente Bellarmino, lib. II. de bonis Op. in particulari c. X. *ſemper leges jejunii ſeveriores erant* in Ecclefiâ Orientali, *quàm* Occidentali, *ſive perſonas ſpectes, ſive jejunium ipſum, ſeu abſtinentiam à cibo. In Oriente enim* pueri, viatores

&

& omnes omninò homines *edictum jejunii ſuſcipiunt. Non modo abſtinent* à carne *& iis quæ ex* lacte *proveniunt ; ſed etiam* vinum & piſces *tùm temporis averſantur.* Inveſtiganda etiam ſunt, quæ *Critopulus* de ciborum diſcrimine tempore quadrageſimali habet. Conf. c. 18. p. 141. *Conſiſtit jejunium quadrageſimale, in abſtinentiâ à carnibus aliisque inde provenientibus*, v. g. à lacte, butyro, caſeis & ovis *quin etiam* à piſcibus. *Concedimus autem* fructus autumnales, legumina & olera modico illa condientes oleo: *Etiam aliquantulum* vini aquâ diluti *bibimus. Monachi vero tempore jejunii* neque oleo, neque vino, *niſi bis in hebdomade, in* Sabbato *nimirum &* die Dominico *utuntur.* Muſcobitis *tamen &* Ruſſis piſcium eſus *conceſſus eſt, quoniam vino & oleo deſtituuntur.* Evolvendus nobis etiam erit Chriſtophorus *Angelus* c.36.p.71.in quo de Monachorum jejunio ſequentia leges. *Jejunii initium*(in quo etiam caſeos, ova, butyrum proſcribunt Monachi) *ab ipſo die Lunæ capiunt*, hoc eſt ſeptimâ ſeptimanâ ante Paſcha. *Jejunare incipiunt*, die Lunæ & Martis, *comedentes ſolùm* die Mercurii, *per illos priores dies verò, ſcilicet* Lunæ & Martis, *omnem cibi uſum prorſus interdicentes ; niſi quod quidam tamen die* Martis circà veſperam *bucellam panis & aquam ſumunt. Diebus vero qui diem Mercurii inſequuntur, usque ad diem* Saturni ſemel tantum de die *cibum capiunt. Diebus autem* Saturni *&* Solis *usque ad feſtum* Paſchatis oleum cibi, vinumq; potûs *loco adhibent, & reliquis quinque ſeptimanæ diebus* ſemel tantùm

& quidem poma arefacta aliosque fructus autumnales, *in magnâ hac Quadrageſimâ, Monachi hi comedunt. Quin aliqui è* Monachis & Aſcetis *his, in magnâ hâc quadrageſimâ ſæpiùs intrà* dies tres, *ſemel tantùm cibo veſcuntur.* In Romanâ vero Eccleſiâ rigor ejusmodi, ſive jejunium quadrageſimale, ſive alia ſpectes, locum minimè obtinet. Jejunare, *etiam Clericis & Monachis*, eſt veſci piſcibus aliisque lautitiis exquiſitiſſimis, fructibus conditis, ficubus, amygdalis, uvis paſſis, nucibus avellanis, caſtaneis, & aliis quibuscunque, *modo ab animantibus terreſtribus & volatilibus deſumta non ſint;* bibere vinum illudque generoſiſſimum, ſive quemcunque potum qui ad manus venit, jejunium non ſolvit. Jam verò Seculo V. pro locorum varietate aliæ atque aliæ ciborum obſervationes erant temporibus jejunii. *Alii*, ſcribit Socrates, *omnino ab animatis abſtinent, alii inter animantia* ſolos piſces *comedunt. Alii cum piſcibus* volucres *etiam manducant, quia ex aquis utraque ſunt orta. Alii à* baccis & ovis *abſtinent. Alii* arido pane ſolo *veſcuntur. Alii ne illo quidem. Sunt qui cum* ad horam nonam *jejunaverint, indifferenter utuntur cibis. Et alià ratione apud alias gentes jejunatur, cujus rei infinitæ ſunt cauſæ. Et quoniam de hâc re nemo oſtendere poteſt* ἔγγραφον παράγγελμα ſcriptum aliquod mandatum, *perſpicuum eſt, quod Apoſtoli* liberam poteſtatem hâc in re cujusque ſententiæ *& arbitrio* permiſerint. *Chemnit.* part. IV. Exam. p. 249.

In

In reliquis autem jejuniis ſeculares & Laici plus ſibi quam Monachi in comedendo cibo lautiori (*excepto tamen omni genere carnium*) indulgent.

Monachi æquè ac Laici, apud Pontificios, in Quadrageſimâ lautiſſimè prandent & cœnant. Hinc cum A. 1612. Collegium Jeſuitarum Aquisgranenſium, à furente plebe, diripiebatur, *inventa eſt talium rerum magna copia, ſuſtinendo jejunio* Quadrageſimæ, *quod tum fortè præ foribus erat, ut vulgus* Aquisgranenſe, *in* Imperium Alcinoi *ſe incidiſſe exiſtimaverit. Et hi boni viri in eâ erant opinione*, ſi has cupedias tempore jejunii conſumerent, *ſe ſingularem cultum præſtare Deo remuneratione dignum. Ruſticum vero egenum*, particulam carnis etiam fumo duratæ *guſtantem*, mortale committere peccatum, *ſacerdoti* in confeſſione *aperiendum.* Si in rationes inquiris cur tàm rigidè urgeant carnis privium, alii alias proferunt. Scholaſtici *propter cauſas Phyſicas hoc fieri autumant:* quod carnes animalium propter caliditatem & humiditatem maximè nutriant, & delectent, ac provocent fomitem peccati, & incentivum carnis, ſeu libidinem. *Sed in piſcibus eſt etiam ſua delectatio & major ab eis provocatio libidinis eſt metuenda, quam à carne ſalitâ & fumo duratâ;*

rata: Ut vinum taceam & aromata, quæ ſanguinem maximè calefaciunt. *Alii eò delabuntur: ideò carnes tempore jejunii eſſe prohibitas*, quia terra propter peccatum Adami ſit maledicta, *aqua vero non, utpote quæ poſteà ſit* ſanctificata Baptiſmo Chriſti: *Atqui hoc modo non ſolum caro*, ſed quicquid ex terrâ provenit *tempore jejunii eſſet prohibitum.* Alii *tertiam cauſam addunt:* quod Chriſtus poſt reſurrectionem piſces comederit *non carnes: Atqui tum temporis* Chriſtus jejunium neque inſtituit *neque celebravit.*

Nonnulli autem (*a*) Monachi & (*b*) Monachæ multò ſtrictius quam tempore jejuniorum (videlicet nunquam piſces & oleum guſtando) totum vitæ ſuum curſum abſolvunt.

(*a*) Sunt hi Monachi tertii ordinis, quem *Aſcetarum* vocant. *Hi per integrum annum* non niſi ſemel de die *comedunt*: *exceptis* diebus feſtis, *quibus aliqui* bis de die, *aliqui tamen etiam tùm* non niſi ſemel *comedunt.* Fabis toſtis, ceraſis, pomis, caſtaneis, *adhibito pane bis cocto ſeſe ſuſtentant. Chriſtoph. Ang.* c. 42. p. 61.

(*c*) Monacharum ſive Monialium mentionem facit etiam Metrophanes *Critopulus* Conf. c. 19. p. 145. *Quæ eâdem vivendi normâ* cum virorum

rorum cænobiis *utuntur* Romæ MARCELLA nobiliſſima vidua prima omnium fæminarum auſa eſt Monachæ inſtitutum profiteri, *cum illud vocabulum vehementer inviſum eſſet* Romanis auribus. Conceperat autem mulier hæc ardorem hunc ex Athanaſio & cæteris Ægyptiis ſacerdotibus, qui tùm Arianæ factionis perſecutionem declinantes, Romam confugerant. His enim referentibus Antonii vitam, (*cujus etiamnùm viventis mira fuerat nominis celebritas*) Monachorum in Thebaide verſantium, virginum item & viduarum didicerat inſtitutum. *Eadem autem ad propoſiti ſui æmulationem complures allexit* tùm Matronas, tùm virgines, *cum primis autem* Sophroniam, Principiam, Paulam & Euſtochium, *& brevi tantus accrevit numerus*, mundi contemtum profitentium *fæminarum*, *ut quod prius ob novitatem invidioſum erat, poſteà cœperit eſſe glorioſum. Hoſp.* lib. 3. c. XI. de Orig. Mon. p. 138. In ipſâ urbe Conſtantinopoli Patriarchatui contiguum eſt *Monaſteriolum Joh. Baptiſtæ*, Græcis Sanctimonialibus inhabitatum.

Præter hæc quatuor jejunia nominata, in toto curſu Annali dies duos, nimirum *(a)* Mercurii, quo Salvator noſter à Judâ proditus eſt; & die Veneris

ratâ: Ut vinum taceam & aromata, quæ ſanguinem maximè calefaciunt. *Alii eò delabuntur: ideò carnes tempore jejunii eſſe probibitas*, quia terra propter peccatum Adami ſit maledicta, *aqua vero non, utpote quæ poſteà ſit* ſanctificata Baptiſmo Chriſti: *Atqui hoc modo non ſolum caro*, ſed quicquid ex terrâ provenit *tempore jejunii eſſet probibitum.* Alii *tertiam cauſam addunt:* quod Chriſtus poſt reſurrectionem piſces comederit *non carnes: Atqui tum temporis* Chriſtus jejunium neque inſtituit *neque celebravit.*

Nonnulli autem (*a*) Monachi & (*b*) Monachæ multò ſtrictius quam tempore jejuniorum (videlicet nunquam piſces & oleum guſtando) totum vitæ ſuum curſum abſolvunt.

(*a*) Sunt hi Monachi tertii ordinis, quem *Aſcetarum* vocant. *Hi per integrum annum* non niſi ſemel de die *comedunt*: *exceptis* diebus feſtis, *quibus aliqui* bis de die, *aliqui tamen etiam tùm* non niſi ſemel *comedunt.* Fabis toſtis, ceraſis, pomis, caſtaneis, *adhibito pane bis cocto ſeſe ſuſtentant. Chriſtoph. Ang.* c. 42. p. 61.

(*c*) Monacharum ſive Monialium mentionem facit etiam Metrophanes *Critopulus* Conf. c. 19. p. 145. *Quæ eâdem vivendi normâ* cum virorum

rorum cænobiis *utuntur* Romæ MARCELLA nobiliſſima vidua prima omnium fæminarum auſa eſt Monachæ inſtitutum profiteri, *cum illud vocabulum vehementer inviſum eſſet* Romanis auribus. Conceperat autem mulier hæc ardorem hunc ex Athanaſio & cæteris Ægyptiis ſacerdotibus, qui tùm Arianæ factionis perſecutionem declinantes, Romam confugerant. His enim referentibus Antonii vitam, (*cujus etiamnùm viventis mira fuerat nominis celebritas*) Monachorum in Thebaide verſantium, virginum item & viduarum didicerat inſtitutum. *Eadem autem ad propoſiti ſui æmulationem complures allexit* tùm Matronas, tùm virgines, *cum primis autem* Sophroniam, Principiam, Paulam & Euſtochium, *& brevi tantus accrevit numerus*, mundi contemtum profitentium *fæminarum, ut quod prius ob novitatem invidioſum erat, poſteà cœperit eſſe glorioſum. Hoſp.* lib. 3. c. XI. de Orig. Mon. p. 138. In ipſâ urbe Conſtantinopoli Patriarchatui contiguum eſt *Monaſteriolum Joh. Baptiſtæ*, Græcis Sanctimonialibus inhabitatum.

Præter hæc quatuor jejunia nominata, in toto curſu Annali dies duos, nimirum *(a)* Mercurii, quo Salvator noſter à Judâ proditus eſt; & die Veneris

quo crucifixus eſt, monachi à piſcibus & oleo; Seculares vero & laici ab omni genere carnium & lacticiniis abſtinentes, jejunare ex inſtituto *(b)* Eccleſiaſtico debent & faciunt.

(*a*) Eadem Metrophanes c. XVIII. de jejunio p. 140. recenſet. *Jejunium* DIEI QUARTI & SEXTI *omnium anni hebdomadum propterea inſtitutum eſt, quoniam illis diebus res magnæ fuerunt peractæ. Et enim quarto* rex mundi à Diſcipulo & proditore *eſt venundatus. Sexto autem* in cruce pependit is, *qui terram in ſublimi ſuſpendit. In dies autem jam dictos, ſi feſtum Dominicum incidat v. g.* Nativitatis Chriſti, *vel tale, quod nomini cujuspiam conſecratum eſt, vel etiam* Circumciſionis, *vel* Baptismi, *vel cujuscunque alterius, modo* Dominicum ſit, *ceſſat illius diei jejunium.* Chriſtophorus Angelus c. 12. p. 25. c. 16. p. 29. ſcribit: *A feſto Nativitatis usque ad quartam Januarii, jejunium quartæ & ſextæ feriæ, ob gaudium quod Chriſtus natus ſit, non obſervari.* Cum Græcis die & quarto & ſexto *etiam* ABYSSINI jejunant. Lege Philippum Nicolai in der Hiſtoria vom Reich GOttes p. 35. Sie (die Moren) faſten an etlichen Tagen der Wochen / als am Mittwochen zum Gedächtnus

nus deß Rathſchlages ſo die Juden an ſelbigen Tag wider Chriſtum gehalten; Item am Freitag zu beſſerer Betrachtung deß Leidens und Sterbens deß HErrn Chriſti / ſo am ſelbigen Tag beſchehen / die vierzig Tage aber in der Faſten gebrauchen ſie keine andere Speis als Waſſer und Brod. *Et hanc etiam rationem reddit* S. Auguſtinus cur quartâ & ſextâ feriâ maximè jejunet Eccleſia. Eccleſia Pontificia ſive Occidentalis JEJUNIUM DIEI SEPTIMI, *ſive Saturni* adjecit, & quidem hanc ob cauſam: *quia Sabbato Dominus in ſepulchro quievit, & Apoſtoli ſublato ſponſo jejunârunt.* Aliam rationem cur die ſeptimâ jejunandum ſit, invenies apud Chemnit. part. I. Exam. Conc. Trid. p. 146. *quod nempè die Dominicâ Petrus Apoſtolus certaturus cum Simone Mago, pridiè cum Eccleſiâ Romanâ jejunârit, & hæc ſententia eſt Urbici cujusdam.* Quâ cum minimè ſtabit Gabrielis Albaſpinæi doctiſſimi Aurelianenſium Epiſcopi judicium ad Can. XXVI. Conc. Illib. Tom. I. Conc. p. 995. *Sabbati dies*, uno excepto, *immunis olim erat ab omni jejunio & tanquam feſtum habebatur*. qui mos etiamnùm in Græciâ perdurat, *quem Hiſpaniæ Patres primò omnium, in Concilio Illiberitano, poſt Romam antiquâſſe veroſimile eſt.* Hoc diei ſeptimi jejunium magnam inter Orientales & Occidentales peperit contentionem, ut S. Ignatius Epiſtolâ ad Philippenſes ſcribere nihil ſit veritus: *Si quis* SABBATO JEJUNAT *Chriſti interfector eſt, quia nimirum Deo debitum honorem & gloriam adimere conatur.* Photius etiam Pa-

triarcha Conſtantinopolitanus Ep. II. Encyclica, *& ſubſecutis temporibus*, Johannes Metropolitanus Ruſſiæ cum Pontificibus Romanis acriter in hâc materiâ dimicârunt. Vid. *Herberſteinii* Muſcovia. *Lege etiam de hâc Controverſiâ*, Binio-Baronianas notas *ad Canones Apoſtolorum*: Diverſæ & contrariæ conſuetudines ſunt Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, *quod jejunium ſpectat die Sabbati.* Orientalis Eccleſia ex piâ conſuetudine Sabbato, *uno Paſchali excepto*, non jejunabat. *Idque in odium & deteſtationem hæreticorum*, Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Baſilidis, Cerinthi, Carpocratis eorumque ſectariorum, Cerdonis & Marcionis, *qui omnes Deum autorem mundi cum omnibus à ſe creatis rebus malum eſſe, atque ideò à carnis eſu & propagatione per matrimonium abſtinentes*, die Sabbati jejunandum eſſe, *ne creator mundi qui die ſeptimâ requievit, honorari videatur*, docebant & obſervabant. *Ut conſtat* ex Irenæi lib. I. c. 20. c. 41. & ſeq. Orientalis proinde Eccleſia, *ut dictam Deo illatam contumeliam vindicaret & honorem Dei creatoris Univerſi contrà ſævos Dei & Eccleſiæ hoſtes defenderet ac propugnaret, comuni conſenſu præcepit:* ne quis die Sabbato jejunaret, ſed potius illum magnâ cum hilaritate tranſigeret, *ac inſtar diei Dominicæ* celebraret. Occidentalis autem Eccleſia, *hæreſi prædictâ extinctâ & propulſatâ, non licitè tantùm*, ſed etiam piè *Sabbato jejunat, ut longiſſimè quam poteſt* à Judæis Sabbato epulantibus *recedat*: ut *memoriam humilitatis Domini* qui die Sabbati mortuus

&

& ſepulchro incluſus jacuit *veneretur: Ut* Apoſtoſos aliosq; diſcipulos *Domini*, *qui ſponſo ſuo ablato* feriâ ſextâ & Sabbato *in luctu & mœrore fuerunt*, *imitetur*, *& ad* Dominicæ diei celebritatem *præparet*. Add. *Ferd.* de *Mend.* lib. 2. de Confir. Conc. Illiberit. T. I. Conc. p. 1184. Ex his manifeſtum eſt: *habuiſſe Eccleſiam Græcam* & Latinam *ſuas rationes* quare illa Sabbati jejunium improbârit: *hæc probârit*. Optimè conſuluiſſent Reip. Eccleſiaſticæ, ſi obſervâſſent illud S. Auguſtini Ep. 86. *Sit ergo* una fides Univerſæ Eccleſiæ, *etiamſi ipſa* fidei unitas *quibusdam* diverſis obſervationibus celebretur, *quibus nullo modo quod* in fide *verum eſt*, *impeditur.*

(*b*) Non eſt ergo præceptum patris, *hoc eſt Dei*, ſed inſtitutum matris, *hoc eſt Eccleſiæ* tàm jejunium quadrageſimale, quàm reliquorum dierum. *Quoniam vero plusquam Judaïca ſuperſtitio adſtrixit conſcientias ad formidines culpæ*, pœnam purgatilem poſt ſe trahentis, *etiamſi tantùm veſcaris* tenui lacte, ſi olido caſeo, ſi putri butyro, *nec abuſus ab uſu facilè ſeparari poterat:* noſtræ Eccleſiæ ejusmodi jejunia non obſervârunt, *unicuique libertatem relinquentes quo tempore & die jejunare velit*. *G. Wicelius* in Viâ Regiâ pag. 820.

Symbolum fidei de S. Trinitate & (*a*) proceſſione Spiritus S. Oecumenici Conci-

lii Nicæni in quo integra fides Catholica à 318. (*b*) patribus expoſita eſt, conſtanter (*ut & quatuor Patriarchæ Eccleſiæ Orientalis hucusque obſervant*) & devotè retinent. Quod Symbolum tempore Liturgiæ Sacræ in Eccleſiis ubique publicè (*c*) recitatur.

(*a*) De proceſſione Spiritus S. AN PROCEDAT A PATRE ET FILIO? An tantùm à Patre? *Diù multumq; inter Eccleſiam* Romanam & *Græcam diſceptatum eſt*, Græcis proceſſionem Spiritus S. à Patre tantùm; *Latinis* AB UTROQUE defendentibus. Græci *Latinos* accuſârunt: quod *proceſſionem Spiritus S. à Filio Symbolo inſeruiſſent Nicæno, auſu proprio & privato*, absque Græcorum conſenſu. Hoc certum eſt, primitùs vocis FILIOQUE, in Symbolo hoc fidei, nullam factam fuiſſe mētionem. *Tironibus breviter totam hanc* hiſtoriam de SYMBOLO NICÆNO, *factâ ad illud* additione, *& controverſiâ* de Sp. S. proceſſione *enarrabo*. Poſtquam Deus Eccleſiæ ſuæ à perſecutionibus halcyonia benigniſſimè largitus eſt, operâ CONSTANTINI M. Rom. Imperatoris,

ratoris, ferre hanc quietem minimè potuit humani generis & Chriſtiani nominis infenſiſſimus hoſtis, Satanas. Excitavit ergo ARIUM *Alexandrinæ Eccleſiæ presbyterum, Divinitatis filii Dei impugnatorem infenſiſſimum*, qui, poſtquam multos viros præclaros in ſuam pertraxiſſet ſententiam & Chriſti Eccleſiam, maximoperè turbâſſet, Conſtantinum Imp. Magnum re & nomine, commovit, *ut* Concilium *congregaret* NICÆÆ *in Bithyniâ 318. Epiſcoporum.* In hoc, exploſâ & damnatâ Arianâ hæreſi, concinnârunt fidei ſuæ confeſſionem, quæ Symbolum, ſive teſſera eſſet orthodoxorum, his verbis: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum* Jeſum Chriſtum *filium Dei, natum ex Patre, hoc eſt ex Patris ſubſtantiâ unigenitum. Deum de Deo: Lumen de Lumine: Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit & incarnatus & homo factus eſt. Paſſus eſt & reſurrexit tertiâ die, & adſcendit in cœlos, & ſedet in dexterâ Patris, & venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in* Spiritum Sanctum. *Eos autem qui dicunt: Erat aliquando quando non erat, & antequàm naſceretur non erat, & quod factus eſt ex non exiſtentibus, aut ex aliâ ſubſtantiâ, aut eſſentiâ, aut qui filium Dei mutabilem aut alterabilem eſſe affirmant, hos Anathematizat ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Nemo de Divinitate Spiri-

tus Sancti quæſtionem tùm temporis movebat, ideò in Symbolo ſuo tantùm hæc verba habent Nicæni Patres: ET IN SPIRITUM SANCTUM. Succedentibus autem *Semi-Arianis* & exortâ MACEDONII hæreſi, *impugnatâque* Spiritus Sancti *Divinitate* à nefario homine, juſſu Theodoſii Imperatoris CONSTANTINOPOLI Concilium 150. Epiſcoporum coactum eſt. Nicænum concilium primum erat Oecumenicum; hoc Conſtantinopolitanum ſecundum. Damnatâ & hâc hæreſi, Patres concilium Nicænum exponentes, illud in hanc redegerunt formam:

Credimus in unum Deum, Patrem *Omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium & inviſibilium. Et in unum* Dominum *noſtrum* Jeſum Chriſtum, *filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſecula: Deum de Deo: Lumen de Lumine: Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Mariâ virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertià die, ſecundùm ſcripturas, & adſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram Patris & iterum venturus eſt cum gloriâ, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in* Spiritum Sanctum *Dominum, & vivificantem, qui ex* Patre procedit, *qui cum Patre & Filio ſimùl adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. In unam Sanctam Catholicam & Apoſtoli-*

cam

cam Eccleſiam. Confiteor unum Baptisma in remiſſionem peccatorum & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi Seculi, Amen!

In hâc tamen Symboli Nicæni explanatione nullam mentionem faciebant Proceſſionis Spiritus Sancti A FILIO. *Ut adeò* Symbolum Nicænum Cophtitarum & Maronitarum, *quod* (referente Abrahamo Ecchellenſi Maronitâ) *mentionem etiam facit* proceſſionis à Filio, *non immeritò ſuſpectum alicui videri poſſit ac debeat*, præſertim cum ipſe Abrahamus Ecchellenſis ſcribat: *De* Copticæ, Armenicæ & Æthiopicæ *editionum* antiquitate & interpretibus *nihil certi in præſens ſtatuere poſſumus.* Diſſert. de Auctorit. Canonum Nicænorum Arabicorum. Tom. II. Conc. pag. 400. 402. Quoniam vero concilii Nicæni maxima in Eccleſia Chriſti fuerat autoritas, *Symbolum* Nicææ *delineatum*, & Conſtantinopoli *uberius illuſtratum*, *non* Conſtantinopolitanum, *ſed* Nicænum *potius vocabatur.*

Hic FIDEI LIBELLUS, (*ſic enim vocare amabant* Sancti Patres hoc Symbolum) in maximo pretio erat antiquitati. *Eundem honorem ſortitus eſt, quem & Divina ſcriptura*; ut loquitur Beſſarion Seſſ. IX. Concilii FERRARIENSIS, ſive FLORENTINI. Tom. XIII. Conc. p. 147.

Sub initium Seculi V. Anno 400. CONCILIUM TOLETANUM I. *contra* Priſcillianiſtas *habitum eſt.* In profeſſione fidei, *proceſſionis Spiritus Sancti* à Filio *fit quidem mentio*, verum illa fidei confeſſio à Symbolo Conſtantinopolitano,

ſive, ut loqui amant, Nicæno, multum diſcrepat. Cum NESTORIUS in Eccleſiâ tumultus excitâſſet, *habitum eſt* EPHESI Concilium III. Oecumenicum *ad reprimendam hanc hæreſin.* Patres ergo Epheſini, primò Nicænum Symbolum recitari juſſerunt, & eo recitato concluſerunt: *Huic Sanctæ fidei omnes conſentire convenit. Continet enim* pietatem & quæ ſufficiunt *ad totius orbis utilitatem.* Tom. III. Conc. Act. VI. Conc. Eph. p. 671. Poſtquam etiam Chariſius Philadelphienſis Oeconomus & Presbyter, fidei ſuæ confeſſionem concilio exhibuiſſet, quæ & à Concilio approbata eſt, *Proceſſionis in eâ, Spiritus S.* neque à Patre, neque à Filio, meminit. vid. l. c. p. 675. Imo voluerunt Patres Epheſini, ibid. p. 690. ut Symbolum Nicænum *inconcuſſum, incommutabileque permaneret, & nulli fas eſſet, aut addere aut adimere, aut omninò aliam fidem proferre, ut* Neſtorius *auſus erat.* Tàm religioſè etiam hanc ſententiam obſervârunt, ut quamvis ex Symbolo Nicæno optimè monſtrârint: MARIAM eſſe non *χριστοτόκον tantùm ſed & θεοτόκον*: non auſi ſint tamen, more *Conſtantinopolitanorum*, Symbolo vocabulum θεοτόκου inſerere, ſed potius peculiares ANATHEMATISMOS condiderunt, quibus Neſtoriana hæreſis proſcripta eſt. THEODORETUS quidem in dicto Concilio in reprehenſione ad Anathematiſmum IX. *Cyrilli* hanc quæſtionem movit, illoſque qui EX FILIO *procedere* SPIRITUM SANCTUM, *aut ab eo exiſtentiam habere dicunt*, blasphemiæ & impietatis arguit.

Sed

ſed, ut ſcribit *Genebrardus*, repreſſa fuit in *Theodoreto* illa ſententia.

Dum Neſtorio ſe opponit EUTYCHES Archimandrita Conſtantinopolitanus, accidit ipſi, quod hortulanis accidere videmus, qui dum curvum arboris ſtatum corrigere ſtudent, nimiâ attractione in alteram partem flectunt. Separabat ſubſtantias *Neſtorius*, confundebat *Eutyches*. Concilium ergò IV. Oecumenicum CHALCEDONENSE convocatum eſt. Relegatâ ad orcum hâc hæreſi, *Nicænum Symbolum* cum expoſitione *Conſtantinopolitanorum* recitatur, de quo teſtantur S. Dei Epiſcopi: *Hoc Symbolum de* PATRE FILIO & SPIRITU SANCTO *perfectam tradere doctrinam, ideòque invariabile permanere debere, nihilque in eo immutandum eſſe, vel addendo, vel detrahendo*, Nec *in hoc* tamen *Concilio*, hæ quatuor Syllabæ, FILIOQUE, Symbolo inſertæ ſunt.

Similiter Concilium CONSTANTINOPOLITANUM II. Nicænum *Symbolum* cum expoſitione *Concilii Conſtantinopolitani I.* absque hâc tamen ADDITIONE ſuſcepit.

A. C. 589. habitum eſt in Hiſpaniâ Concilium TOLETANUM III. in quo à *Reccaredo* Rege Gothorum, Hiſpaniam tùm poſſidente, quæſtio de PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI propoſita, & Symbolo Nicæno primùm vox FILIOQUE addita eſt.

Cum 60. annis à Concilio *Toletano* III. Martinus Papa Concilium LATERANENSE haberet, absque ulla tamen mutatione Symbolum NICÆ-

NICÆNO - CONSTANTINOPOLITANUM allegârunt dicti Patres.

Hiſpani verò in Concilio TOLETANO VIII. Anno 653. veſtigiis inhærent Concilii *Toletani* III.

Nec aliter factum eſt in EMERITENSI A. 666. celebrato, ab urbe nobili EMERITA, provinciæ Luſitaniæ, ita dicto.

Ut & in BRACARENSI A. 675. indicto, quod ſic nominatum eſt à BRACARA, ſive BRAGA, provinciæ *Luſitaniæ* hodiè in ſpiritualibus *metropoli*.

A. 680. Sextum Concilium erat *Oecumenicum* CONSTANTINOPOLITANUM III. Et hoc Concilium ſolius proceſſionis Spiritus Sancti A PATRE in Symbolo *Nicæno* mentionem facit.

Concilia vero TOLETANA XII. XIII. XV. & XVIII. parum curârunt quid in Synodo Oecumenicâ actum fuiſſet, & ADDITIONEM retinuerunt.

Dum hæc aguntur, GENTILIACI in villâ propè *Pariſios* convenerunt in Concilio GRÆCI & OCCIDENTALES in quo A. 767. de PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI quæſtio mota eſt, *Græcique* cum Latinis de *additione* ad Symbolum expoſtulârunt.

Offert ſe jam tempus Concilii NICÆNI II. quod VII. dicitur *Oecumenicum*. In hoc Concilio, *Concilii Nicæni* I. Symbolum cum *Conſtantinopolitanâ* exegeſi allegatur, & de *Proceſſione Spiri-*

tus Sancti hæc recitantur: *Collecta eſt* Conſtantinopoli 150. Patrum Synodus *contrà Spiritus Sancti impugnatorem* Macedonium & *Deo exoſos* Semi-Arianos ſocios ejus, quæ *S. Synodus, eundem* Spiritum Sanctum *ducem ac magiſtrum habens*, EX PATRE *ſempiternè* Spiritum Sanctum PROCESSIONEM *dogmatizavit habere.* His adde quæ de hâc Synodo citat *Marcus Epheſius* in Concilio FLORENTINO Seſſ. V. p. 82. 83.

Inter Italiæ Concilia primum eſt FOROJULIENSE, A. 791. convocatum, quod cum *additione* Symbolum hoc recitat. A. 809. Imperator CAROLUS M. de Arduennâ Aquisgranum reverſus, Concilium cogit, in eoque quæſtionem de SPIRITUS SANCTI PROCESSIONE proponit, quam quæſtionem quidam *Johannes* Monachus *Hieroſolymis* movit, cujus definiendæ cauſâ Carolus Imperator non modò ad Pontificem LEONEM III. dat literas, quas Abbas *Smaragdus edidit* Tom. VI. Conc. p. 1109. Sed BERNATIUS Epiſcopus *Wormatienſis*, JESSE *Ambianorum* & ADELHARDUS Abbas *Corbejæ majoris*, à Concilio ad *Pontificem* miſſi ſunt. Cum diù, an inſerendæ Symbolo eſſent hæ Syllabæ FILIOQUE, cum Pontifice amicè concertâſſent legati, non improbat quidem ſententiam LEO: *Spiritum Sanctum* A FILIO *quoque procedere*: Legatis tamen ſuadet: *Symbolum illud aliquo temporis ſpatio intermittendum & obliterandum & poſteà rurſus absque* additione *canendum eſſe.* Ipſe vero *Leo* Romæ indelebile monumentum erexit, quo

poſteris

poſteris perſuaderet, in ſacro Symbolo *nihil eſſe addendum*, ſiquidem in Baſilicâ S. *Petri* duas tabulas argenteas, ad confeſſionem ejusdem *Petri*, affigendas curavit, in quarum alterâ Symbolum *Latinè* ſcriptum legeretur; in alterâ *Græcè* exaratum, absque aliquo quatuor ſyllabarum additamento FILIOQUE, & illud in ſuo priſtino candore voluit integrum permanere; ut ſcribit ad Concilium hoc AQUISGRANENSE Severinus *Binius* Tom. VII. Conc. p. 1108. Ex quibus conſtat: LEONEM III. Pont. ignorâſſe, quod hæc verba confeſſioni Nicænæ, in Nicænâ II. Synodo Oecumenicâ fuerint adjecta, *prout ex antiquo codice* manuſcripto GRÆCOS in Concilio FLORENTINO *Latini* docuerunt. Seſſ. V. p. 83. atque omninò librum illum de corruptione (*utut eum defendat* Julianus *in eâdem ſeſſione*) meritò ſuſpectum eſſe. Quid enim opus fuiſſet *Leoni* Germanis ADDITIONEM *diſſuadere*, jubere ut Symbolum *tabulis argenteis* inſcribatur, ſi controverſia hæc in *Concilio* & quidem OECUMENICO, cui GRÆCI & LATINI intererant & ſubſcripſerant, jam erat deciſa?

Tandem PHOTIUS, (*Patriarcham alii vocant*, invaſorem alii ſedis *Conſtantinopolitanæ*) Eccleſiam Orientis & Occidentis inquietabat. Erat adverſarius ejus IGNATIUS. Uterque fortunam jam ſenſit matrem, jam novercam. Jam *Photius* Patriarcha erat, dejecto Ignatio; jam *Ignatius* reſtituebatur, dejecto Photio. Poſtquam vero in vivis eſſe deſierat *Ignatius*, Photius *in*

thronum

thronum Conſtantinopolitanum erat evectus. *Negabat Spiritum Sanctum à* FILIO *procedere* POSSE. Tum demum *Marinus* Pontifex Romanus, quem alii *Martinum* II. vocant, *ſed perperam*, Symbolo vocem FILIOQUE adjecit, & Romæ in Eccleſiâ publicè cantare juſſit *cum* ADDITAMENTO, præſertim dùm à *Germanis*, Gallis & *Hiſpanis* ob hanc controverſiam maximum metuendum erat Schiſma. Cum Photius ad plures migrâſſet, quievit hæc controverſia usque ad tempora Michaëlis CERULARII per ſpatium 165. annorum. Hic tempore Leonis IX. A. 1051. de Latinis hanc rigidam fert ſententiam: *Pontificem & omnes alios Latinos eſſe excommunicatos, quod ſine conſenſu* GRÆCORUM *& contrà decretum* Concilii EPHESINI *ad* SYMBOLUM *aliquid addidiſſent.*

Ab hoc tempore GRÆCI averſari cœperunt *Latinos*, LATINI *Græcos*. Tentatum quidem ſæpiùs fuit, an pax & amicitia collapſa inter utramq; partem reſtaurari poſſet, ſed irrito ſemper conatu, quotiescunque enim res in Synodo compoſita videbatur, ſemper *majori impetu* quæſtio hæc agitata eſt. A. 1097. Concilium BARENSE habitum eſt, in quo de PROCESSIONE Spiritus Sancti cum Græcis diſputabat ANSHELMUS Cantuarienſis, ſed concordia ſtabiliri non potuit. *Tom.* X. Conc. p. 611.

A. 1215. Concilium LATERANENSE IV. indictum eſt ab Innocentio III. Aderat cum Pontifice *Patriarcha Conſtantinopolitanus*. Antio-

chenus

chenus gravi morbo detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe vicarium ſuum *Antheradenſem Epiſcopum*. Alexandrinus verò ſub *Saracenorum* poteſtate conſtitutus, fecit quod potuit, mittens pro ſe Diaconum ſuum *Germanum*. In hoc Cõcilio caput II. eſt *de errore Abbatis Joachimi*; ac in Latino exemplari hæc quidem leguntur verba in confeſſione fidei: *Eadem res eſt* Pater & Filius *nec non* Spiritus Sanctus AB UTROQUE PROCEDENS. Sed ſi Græcum inſpicis textum, hæc in obtutum veniunt: καὶ οὕτω τὸ αὐτὸ πρᾶγμα ἐστὶν ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Proceſſionis vero vel à PATRE, vel A FILIO nulla fit mentio. Imò (ut annotârunt in margine *Philippus Labbæus* & *Gabriel Coſſartius* Jeſuitæ) in codice *Mazarino* deeſt: AB UTROQUE *procedens*: in *Græco* & Latino. Et ſic in hoc etiam Concilio deſiderata & exoptata unitas reſtitui non poterat. Conqueruntur potiùs Latini cap. IV. hujus concilii (*in græco vero exemplari hoc caput deſideratur*) de *Græcorum* ſuperbiâ, quod in tantùm abominari cœperint Latinos, *ut ſi quando ſacerdotes Latini ſuper ipſorum altaria celebrâſſent*, non prius Græci ſacrificare voluerint in illis, antequàm ea, *tanquam per hoc inquinata*, lavaſſent; baptizatos etiam à Latinis, *rebaptizare* auſu temerario præſumſerint. Intereà tamen GERMANUS Conſtantinopolitanus Patriarcha ad *Gregorium* IX. Pont. de unitate redintegrandâ dat literas, quibus Gregorius IX. duabus Epiſtolis reſpondet & à Græcis poſtulat: *Ut Petrum Apoſtolorum principem*

cipem ſequantur, hoc eſt, cum Eccleſiâ ROMANA idem ſentiant, idem loquantur.

Anno 1233. NYMPHEÆ in Bithyniâ convenerunt Græci in Concilio, ad quod etiam Pontifex ſuos miſerat *Apocriſiarios*, ſive Legatos. Duo capita erant inter utramque partem maximè controverſa. *An Spiritus Sanctus* A PATRE ET FILIO PROCEDAT? &: *An Latini licitè* IN AZYMIS *conſecrent*? Sperabat Imperator Græcorum: tranſigi poſſe totum hoc negotium, ſi Latini ex Symbolo vocem FILIOQUE expungerent; & Græci Latinos IN AZYMIS celebrantes non condemnarent. Sed cum *Apocriſiarii* Romani Græcorum Imperatori reſpondiſſent: *Unionem & concordiam* NON POSSE *impetrari*, niſi GRÆCI *errorem de* PROCESSIONE Spiritus Sancti *ejurarent*, *libroſque* in quibus defenderant hanc ſententiam *comburerent*; omni ſpe reconciliationis excidit. Græci ſuorum opinionum tenaciſſimi *Apocriſiariis Romanis* ANATHEMA dixerunt, ſimiliter *Apocriſiarii Romani*, Græcis. Hoc verò de hoc Concilio teſtatur, ex *Wadingo*, COSSARTIUS: *Nullibi ſe* GRÆCORUM *adeò diffuſè fundamenta vidiſſe* pro pertinaci illâ ſuâ hæreſi congeſta, *neque in aliis eorum ſcriptis* quæ occurrerunt, *neque in Concilio* FLORENTINO, *neque apud* Controverſiſtas. *Tom. XI. Conc. p. 446.* In eodem Seculo Anno 1274. Pontifex Concilium LUGDUNENSE promulgat. Ad idem Græcorum Imperatorem & Patriarcham invitat. Imperator MICHAEL PA-

LÆOLOGUS literis ad GREGORIUM X. datis, fidei ſuæ edit confeſſionem, in quâ etiam hæc ponit verba: πιστεύομεν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πλήρη καὶ τέλειον Θεὸν, ἀληθῆ Θεὸν, ἐκ πατρὸς ὑιοῦτε ἐκπορευόμενον. In *Articulo* I. *Concilii* idem à Græcis & Latinis confirmatur, non attendentibus quod *Patriarcha Conſtantinopolitanus* cum multis ex *Clero* contradicant. Vid. *Tom. XI.* Conc. p. 1033. Imo *Patriarcha*, quod unionem recuſâſſet, *ſede Patriarchali deturbatur*, ſurrogato illi JOHANNE VECCO, vel BECCO, qui *Conſtantinopoli* Synodum cogit, fidei ſuæ profeſſionem, in qua *Spiritus Sanctus proceſſionem* A FILIO *approbat*, A. 1277. ROMAM mittit, & tandem etiam *Gregorii Nyſſeni* locum, ab aliis malignè corruptum, *in quo Spiritus Sanctus* A FILIO *procedere dicitur*, reſtituit.

Hodiè tamen obſervante COSSARTIO verba illa à VECCO allegata, *loco citato* non leguntur. Vid. *Tom. XI.* Conc. p. 1126. 1133. Aurea pax Eccleſiæ videbatur reſtituta. *Sed fruſtratam denuo ſuâ ſpe ſe vidit S. Dei Eccleſia.* MICHAEL PALÆOLOGUS, quod à pacto reſiliiſſet, à *Martino IV.* Anathemate notatur. Ab ipſis *Græcis*, quod Eccleſiam turbâſſet, *ſepulturæ honor* huic Imperatori *denegatur.* VECCUS vel BECCUS Patriarcha, mutatâ vice, ab ANDRONICO, *Michaëlis filio*, in carcerem conjicitur. *Sic poſteriora prioribus facta ſunt deteriora.* Aliquibus tamen viris doctis apud *Græcos*, placuiſſe ſententiam Latinorum, negari non poteſt. *Nicephorus*

phorus certè BLEMMIDAS duabus orationibus *proceſſionem Spiritus Sancti* A FILIO confirmavit, quas Græcè & à *Leone Allatio* Latinitate donatas reperies apud *Odoricum Rainaldum* BARONII *continuatorem*. Tom. XIII. Annalium *ſub finem*.

Secutæ ſunt aliæ velitationes *Græcorum* & *Latinorum* inter ſe, *ſed obſcuræ*, & *privatìm* magis quam publicè ſuſceptæ. Ultima conſociatio tentata eſt in Concilio FERRARIENSI, quod poſtmodum ab urbe *Florentiâ*, in quam translatum eſt, FLORENTINUM vocabatur, ſedente in Pontificatu EUGENIO IV. Erat Græcorum Imperator *Johannes* PALÆOLOGUS, Patriarcha Conſtantinopolitanus JOSEPHUS, qui durante Concilio *Florentiæ* obiit. Poſt varias diſceptationes, in quibus MARCUS EPHESIUS ſtrenuè Græcorum partes tuebatur, tædio victus Imperator Græcorum, cum diſputationes protraherentur, ob inſtans periculum *Turcarum* & ſpem ſuppetiarum ferendarum à Latinis, conſentiente Patriarchâ, diſputationes abrumpit & Eccleſiæ Romanæ dexteram porrigit. Sed *Marcus Epheſius* cum ſuis, qui Concilio ſubſcribere *Florentino* recuſabant, domum reverſi apud ſuos impediebant, ne rata haberent, quæ in Concilio acta compoſitaque eſſent. Sequuta eſt CONSTANTINOPOLIS occupatio, *Romani Imperii* in Oriente deletio. Delere tamen hæ calamitates ex animis Græcorum hanc controverſiam non poterant, quin potiùs hodiè eandem ſen-

 tentiam:

tentiam : *Spiritum Sanctum* A SOLO PATRE *procedere* : mordicùs defendunt. Teſtantur hoc HIEREMIAS Patriarcha Conſtantinopolitanus in actis cum Würtembergicis, METROPHANES, noſter AUTOR & *alii.* Sed mirari quis poſſet: *cur Græci* Proceſſionem Spiritus Sancti à Filio *negent*, additionem *ad* Symbolum Nicænum *tàm ægrè ferant*, *cum tamen* Symbolum ATHANASII *recipiant*, *quod*, *ut ſemper in maximâ autoritate fuit apud Eccleſiam Chriſti*; *ita diſertis verbis proceſſionis* Spiritus Sancti à Filio *etiam mentionem facit?* quod etiam admiratur Vir Doctiſſimus *Dionyſius Petavius* Jeſuita Tom. II. dogmat. Theol. lib. VII. de Trinitate c. VIII. §. 7. *De Symbolo ergo* ATHANASIANO *quædam adjungenda ſunt.*

ROMÆ, an apud TREVIRENSES *in puteo*, hoc Symbolum conſignatum ſit ab Athanaſio, usque adeò certum non eſt? Prius *Baronius*, &, qui eum ſequitur, *Binius* aſſeverant; Poſterius *Genebrardus* in prologo expoſitionis Symboli Athanaſii. *An* ATHANASIUS *author ſit hujus Symboli*, *an* ſcriptor *aliquis recentior*, *haud caret dubio?* Illud *Genebrardus* defendit; hoc aliis viris doctis placet. Hoc certum eſt, exemplaria Græca hujus Symboli inter ſe minimè convenire, eſſe plurimas in illis lectiones varias, quæ arguunt, horum exemplarium non eſſe unum authorem, vel ad minimum à librariis inſigniter eſſe mutata. Sex autem ad manus meas pervenerunt ejusmodi formulæ Symboli: Prima

eſt

eſt *Gilberti Genebrardi*, quam adeptus eſt ex Manuſcript. *Lazari Baiffii* Oratoris *Franciſci I.* Regis Galliarum apud Venetos, quam ipſi obtulit *Dionyſius* Græcus *Epiſcopus Zienenſis* & *Firmienſis*, A. C. 1533. Secunda eſt quæ cum hâc fermè coincidit, quam olim evulgavit Baſileæ *Nicolaus Bryling*, deinde in Galliâ *Henricus Stephanus* A. C. 1565. hæ duæ formulæ *ſeptem in locis* invicem diſſentiunt, quæ etiam adnotavit *Genebrardus* loc. cit. Tertiam formulam nobis exhibet *Philippus Labbeus* & *Gabriel Coſſartius*, quæ tamen in pluribus locis à *Genebrardi* formulâ abit. Ut omnia tibi Lector benevole innoteſcant, apponam Symbolum Athanaſianum prout ex *Baiffio* producit *Genebrardus*; addam è *Genebrardo* ubi idem Symbolum ab *impreſſo* diſcrepat; & tandem prout Tom. II. Conc. eam nobis exhibet *Philippus Labbeus*. Lectiones varias Symboli impreſſi, notabo *literis Alphabeti*, Lectiones varias verò quæ ſunt in formula Labbei, *numeris*. Inſcriptio apud Genebrardum hæc eſt.

ΣΥ'ΜΒΟΛΟΝ ΤΟΥ͂ Α'ΓΙ'ΟΥ ΑΘΑΝΑΣΙ'ΟΥ.

Ἔκθεσις ὁμολογίας τῆς καθολικῆς πίστεως τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου Πατριάρχου Ἀλεξανδρείας.

1. Ὅστις ἂν (a) βούληται σωθῆναι πρὸ πάντων χρὴ κρατεῖν τὴν καθολικὴν πίστιν; ἣν εἰ μὴ εἷς ἕκαστος σῶαν καὶ ἀμώμητον (1) τηρήσῃ, ἄνευ δισταγμοῦ εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολεῖται. (a ὅστις βούλεται.) (1 τηρήσειεν.)

2. Πίστις δὲ ἡ καθολικὴ αὕτη ἐστὶν, ἵνα ἕνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι σεβώμεθα, μήτε συγχέοντες τὰς

τες τὰς ὑποςάσεις, μήτε τὴν ὐσίαν (b) διαχωρίζοντες. (b μερίζοντες.)

3. Ἄλλη γάρ ἐςιν ἡ ὑπόςασις τῦ πατρὸς, ἄλλη τῦ ὑῦ, ἄλλη τῦ (2) ἁγίυ πνεύματος. (2 πνεύματος ἁγίυ.)

4. Ἀλλὰ πατρὸς, ϗ ὑῦ, ϗ ἁγίυ πνεύματος μία ἐςὶν ἡ θεότης, (c) (3) μία ἐςὶν ἡ δόξα, συναΐδιος ἡ μεγαλειότης. (4) (c μία ὑῦ ἡ δόξα) (3 ἴση) (4 θεότης.)

5. Οἷος ὁ πατὴρ, τοιῦτος ὁ ὑὸς, (5) τοιῦτο (d) τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. (5 τοιῦτον) (d ϗ τὸ ἅγιον πνεῦμα.)

6. Ἄκτιςος ὁ πατὴρ, ἄκτιςος ὁ ὑὸς, ἄκτιςον (6) ϗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. (6 ἄκτιςον τὸ.)

7. Ἀκατάληπτος ὁ πατὴρ, ἀκατάληπτος ὁ ὑὸς, ἀκατάληπτον (7) ϗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Αἰώνιος ὁ πατὴρ, αἰώνιος ὁ ὑὸς, αἰώνιον (8) ϗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. (7 ἀκατάληπτον τὸ.) (8 αἰώνιον τὸ.)

8. Πλὴν (9) ὐ τρεῖς αἰώνιοι, ἀλλ' εἷς αἰώνιος (10) ὐδὲ (e) τρεῖς ἄκτιςοι, ὐδὲ τρεῖς ἀκατάληπτοι, ἀλλ' εἷς ἄκτιςος ϗ εἷς ἀκατάληπτος. (9 Καὶ γὰρ) (10 ὐ) (e ὐδὲ τρεῖς ἀκατάληπτοι ὐδὲ τρεῖς ἄκτιςοι.)

9. Ὁμοίως παντοδύναμος ὁ πατὴρ, παντοδύναμος ὁ ὑὸς, παντοδύναμον (11) ϗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πλὴν (12) ὐ τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ' εἷς παντοδύναμος. (11 παντοδύναμον τὸ) (12 Καὶ γὰρ.)

10. Οὕτω θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς ὁ ὑιὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πλὴν (13) ὐ τρεῖς θεοὶ, ἀλλ' εἷς θεός. (13 Καὶ γάρ.)

11. (14) Ὁμοίως κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ ὑιὸς. (15) (f) κύριον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. (16) πλὴν ὐ τρεῖς

τρεῖς κύριοι, ἀλλ' εἷς ἐστὶ κύριος. (14 οὕτω.) (15 κύριος καὶ) (f κύριος) (16 Καὶ γάρ.)

12. Ὅτι ὡς ἰδίαν (g) μίαν (17) ἕκαστον ὑπόστασιν θεὸν καὶ κύριον ὁμολογεῖν τῇ χριστιανικῇ ἀληθείᾳ βιαζόμεθα, οὕτω τρεῖς θεοὺς ἢ (18) τρεῖς κυρίους λέγειν, τῇ καθολικῇ εὐσεβείᾳ κωλυόμεθα. (g ἰδίᾳ) (17 ἑκάστην) (18 καὶ.)

13. Ὁ πατὴρ ἀπ' οὐδενός ἐστιν (19) οὔτε (20) μὴν κτιστὸς, (21) οὐδὲ γεννητός. (19 οὔτε ποιητὸς) (20 μὴν deëſt) (21 οὔτε.)

14. Ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς (22) μόνον ἐστὶν οὐ ποιητὸς, οὐ κτιστὸς, ἀλλὰ (23) γεννητός. (22 μόνου.) (23 γεννητός.)

15. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ οὐ ποιητὸν, οὐ κτιστὸν, οὐδὲ γεννητὸν, ἀλλ' (24) ἐκπόρευτον. (24 ἐκπορευόμενον.)

16. Εἷς (25) οὖν ὁ πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες. εἷς υἱὸς, οὐ τρεῖς υἱοὶ, ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια. (25 γοῦν.)

17. Καὶ ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι οὐδὲν πρότερον ἢ ὕστερον, (26) οὐδὲν μεῖζον ἢ ἔλαττον, ἀλλὰ (27) σῶαι αἱ τρεῖς ὑποστάσεις, (28) καὶ (29) συναΐδιαι εἰσὶν ἑαυταῖς καὶ ἴσαι. (26 οὐδὲ) (27 πᾶσαι) (28 καὶ deeſt.) (29 συναΐδιοι εἰσίν.

18. (30) Ὥστε κατὰ πάντα (καθὼς εἴρηται) καὶ τὴν μονάδα ἐν τριάδι καὶ τὴν τριάδα ἐν μονάδι (31) σέβεσθαι δεῖ. Ὁ (32) γοῦν βουλόμενος σωθῆναι, οὕτω περὶ τριάδος φρονείτω. (30 οὕτω.) (31 σεβόμεθα.) (32 οὖν.)

19. Πλὴν ἀναγκαῖόν ἐστι πρὸς τὴν αἰώνιον σωτηρίαν, ὅπως καὶ τὴν (33) ἐνσάρκωσιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ

Χριϛȣ̃ (34) ἔτι ὀρθῶς πιϛεύσῃ. (33 σάρκωσιν.) (34 deëſt ἔτι.)

20. Ἐϛὶ γὰρ πίϛις ὀρθὴ, ἵνα πιϛεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησȣ̃ς Χριϛὸς ὁ ὑιὸς τȣ̃ Θεȣ̃, Θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐϛι.

21. Θεὸς ἐκ τῆς ȣ̓σίας τȣ̃ πατρὸς πρὸ αἰώνων γεννηθεὶς, καὶ ἄνθρωπος ἐκ τῆς ȣ̓σίας τῆς μητρὸς ἐν τῷ αἰῶνι τεχθείς.

22. Τέλειος Θεὸς, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφιϛάμενος.

23. Ἴσος τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττων τȣ̃ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ὃς εἰ καὶ Θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐϛιν, ȣ̓ δύο ὅμως, ἀλλ' εἷς ἐϛὶ Χριϛός.

24. Εἷς δὲ, ȣ̓ τροπῇ τῆς θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει τῆς ἀνθρωπότητος εἰς Θεόν.

25. Εἷς πάντως, ȣ̓ συγχύσει τῆς ȣ̓σίας, ἀλλ' ἑνότητι τῆς ὑποϛάσεως.

26. Καὶ γὰρ ὡς ἡ (35) ψυχὴ λογικὴ καὶ ἡ σὰρξ εἷς ἐϛιν ἄνθρωπος. ȣ̓́τω καὶ ὁ (36) θεάνθρωπος εἷς ἐϛὶ Χριϛός. (35 λογικῆ ψυχῆ.) (36 Θεὸς καὶ ἄνθρωπος.)

27. Ὃς ἔπαθε διὰ τὴν σωτηρίαν (37) ἡμῶν. καὶ κατῆλθεν εἰς (38) ᾅδȣ, ἀνέϛη ἐν τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τῶν νεκρῶν. (37 ἡμετέραν) (38 ἐν ᾅδῃ.)

28. Ἀνῆλθεν εἰς τȣ̀ς ȣ̓ρανȣ̀ς, κάθηται ἐκ δεξιῶν τȣ̃ Θεȣ̃ καὶ πατρὸς παντοκράτορος ὅθεν ἥξει κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρȣ́ς.

29. ΟΥ τῇ παρȣσίᾳ πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀναϛήσονται μετὰ τῶν σωμάτων αὐτῶν, καὶ ἀποδώσȣσιν ἐξ ἰδίων ἔργων ἀπολογίαν.

30. Καὶ οἱ τὰ ἀγαθὰ πράξαντες πορεύσονται εἰς ζωὴν αἰώνιον, οἱ δὲ φαῦλα, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

31. Αὕτη

31. Αὕτη ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις, ἣν ἐὰν μή τις (39) πιστῶς (40) πιστεύσῃ, σωθῆναι οὐ δυνήσεται. (39 εἷς ἕκαστος.) (40 ἐκ πίστεως βεβαίως.)

Hæ tres formulæ Symboli Athanaſiani (*ut ut* Labbeana *quadraginta vicibus variet*) inter ſe conveniunt, ut in rebus nulla, in verbis non usque adeò magni momenti ſit diſcrepantia.

Adjicere tamen placet & *quartam* formulam, quam itidem habet *Genebrardus*, quamque vult eſſe *Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*. In quâ non transpoſitiones ſubſtantivorum & adjectivorum, omiſſiones articulorum & conjunctionum modo occurrunt, ſed alias omnino voces, conſtructiones easque non raras, ſed crebras animadvertes. Sic autem ſe habet.

Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου τοῦ μεγάλου ὁμολογία τῆς καθολικῆς πίστεως ἣν ἔδωκε πρὸς Ἰούλιον Πάπαν Ῥώμης.

1. Τῷ θέλοντι σωθῆναι πρὸ πάντων, ἀνάγκη τὴν καθολικὴν πίστιν κατέχειν. Ἣν εἰ μή τις ἀκεραίαν καὶ ἀπαράθραυστον συντηρήσειεν, ἀναμφιβόλως εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολεῖται.

2. Αὕτη δὲ ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις, ἕνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι σέβειν ἡμᾶς, μήτε τὰ πρόσωπα συγχέοντας μήτε τὴν οὐσίαν διαιροῦντας.

3. Ἄλλο γάρ ἐστι τὸ τοῦ Πατρὸς πρόσωπον, ἄλλο τὸ τοῦ υἱοῦ, ἄλλο τὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

4. Ἀλλὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μία ἐστι θεότης, ἴση δόξα, συναΐδιος μεγαλειότης.

5. Οἷος ὁ πατὴρ, τοιοῦτος ὁ υἱὸς, τοιοῦτον τὸ ἅγιον πνεῦμα.

6. Ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

7. Ἄπειρος ὁ πατὴρ, ἄπειρος ὁ υἱὸς, ἄπειρον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

8. Οὐ μὴν τρεῖς ἀΐδιοι, ἀλλ᾽ εἷς ἀΐδιος, οὕτως οὐδὲ τρεῖς ἄκτιστοι, οὔτε τρεῖς ἄπειροι, ἀλλ᾽ εἷς ἄκτιστος εἷς ἄπειρος.

9. Ὁμοίως παντοδύναμος ὁ πατὴρ, παντοδύναμος ὁ υἱὸς, παντοδύναμον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐ μὴν τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ᾽ εἷς παντοδύναμος.

10. Οὕτω καὶ θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. οὐ μὴν τρεῖς θεοὶ, ἀλλ᾽ εἷς θεός.

11. Οὕτω κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱὸς, κύριον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. οὐ μὴν τρεῖς κύριοι, ἀλλ᾽ εἷς κύριος.

12. Ἐπεὶ καθὼς ἕκαστον τῶν προσώπων θεὸν ἢ κύριον ὁμολογεῖν ὑπὸ τῆς χριστιανικῆς ἀληθείας ἀναγκαζόμεθα, οὕτω καὶ τρεῖς θεοὺς ἢ κυρίους λέγειν, ἡ καθολικὴ θρησκεία κωλύει.

13. Ὁ πατὴρ τοίνυν ὑπ᾽ οὐδενὸς, οὔτε πεποίηται, οὔτε ἔκτισται, οὔτε γεγέννηται.

14. Ὁ υἱὸς παρὰ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστὶν οὐ ποιηθεὶς, οὐ κτισθεὶς, ἀλλὰ γεννηθείς.

15. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παρὰ πατρὸς, καὶ υἱοῦ οὐ ποιηθὲν, οὐ κτισθὲν, οὐ γεννηθὲν, ἀλλ᾽ ἐκπορευόμενον.

16. Εἷς τοίνυν πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες, εἷς υἱὸς, οὐ τρεῖς υἱοὶ, ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια.

17. Ἀλλ᾽ ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι οὐδὲν πρότερον, ἢ ὕστερον,

ὕστερον, οὐδὲν μεῖζον, ἢ ἔλαττον, ἀλλὰ τὰ τρία πρόσωπα συναΐδια ἑαυτοῖς εἰσὶ, καὶ διὰ πάντων ἴσα.

18. Οὕτως ὡς κατὰ πάντα, καθὼς ἤδη εἴπωμεν, καὶ τὴν τριάδα ἐν τῇ μονάδι καὶ τὴν μονάδα ἐν τῇ τριάδι σέβειν ἡμᾶς δεῖ. Ὁ βουλόμενος τοίνυν σωθῆναι, οὕτω περὶ τῆς τριάδος φρονείτω.

19. Ἀναγκαῖον δὲ πρὸς τὴν αἰώνιον σωτηρίαν, καὶ τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ σάρκωσιν πιστῶς κατέχειν.

20. Ἔστι τοίνυν βεβαία πίστις, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον εἶναι.

21. Θεὸν ἐν τῆς οὐσίας πατρὸς πρὸ τῶν αἰώνων γεννηθέντα, καὶ ἄνθρωπον ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς ἐν χρόνῳ γεννηθέντα.

22. Τέλειον Θεὸν καὶ τέλειον ἄνθρωπον ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφεστῶτα. Ἴσον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττονα τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.

23. Ὃς εἰ καὶ Θεός ἐστι καὶ ἄνθρωπος, οὐ μὲν δύο ἀλλ' εἷς ἐστὶ Χριστός.

24. Εἷς δὲ οὐ τῆς θεότητος μεταβληθείσης, εἰς σάρκα, ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἀπὸ τοῦ Θεοῦ προσληφθείσης.

25. Εἷς παντελῶς οὐ φύρμῳ τῆς οὐσίας, ἀλλὰ τῇ τοῦ προσώπου ἑνότητι.

26. Ὥσπερ γὰρ ἡ λογικὴ ψυχὴ καὶ ἡ σὰρξ εἷς ἐστὶν ἄνθρωπος, οὕτω καὶ ὁ Θεὸς καὶ ἄνθρωπος εἷς ἐστὶ Χριστός.

27. Παθὼν ὑπὲρ τῆς σωτηρίας ἡμῶν, κατέλθων εἰς τὸν ᾅδην, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐκ τῶν νεκρῶν ἀναστάς.

28. Καὶ

28. Καὶ ἀνέλθων εἰς τοὺς οὐρανοὺς καὶ καθήμενος ἐκ δεξιῶν τοῦ παντοδυνάμου θεοῦ καὶ πατρὸς, ἐκεῖθεν ἥξων κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

29. ΟΥ͂ πρὸς τὴν παρουσίαν πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀναστήσονται μετὰ τῶν ἰδίων σωμάτων, ἀποδώσοντες λόγον περὶ τῶν ἔργων αὐτῶν.

30. Οἱ μὲν τὰ ἀγαθὰ πράξαντες εἰς τὴν αἰώνιον ἀπελεύσονται ζωὴν, οἱ δὲ τὰ φαῦλα, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

31. Αὕτη ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις, ἣν εἰ μήτις πιστῶς καὶ βεβαίως πιστεύσει. οὐχ οἷός τε ἔσαι σωθῆναι.

In hâc formulâ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *deſunt* §. 7. *hæc verba*: Αἰώνιος ὁ πατὴρ, αἰώνιος ὁ υἱὸς, αἰώνιον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Mirum alicui videri poſſit, cur §. 15. addantur verba; ἀπὸ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον : A FILIO PROCEDENS cum tamen conſtet: Græcos hæc verba in Symbolo ATHANASIANO non legere, prout *Labbeus* T. II. Conc. p. 603. *ex Symbolo Conſtantinopolitano* nos docebit, *de quo infrà*. Ut adeò non immeritò quis dubitare poſſet; *An hæc formula*, quæ perhibetur ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ, *non ſit ſuppoſititia, aut ad minimum corrupta.* Operæ pretium vero erit & adjicere Quintam hujus Symboli Editionem, prout habetur *T. II. Operum S. Athanaſii, Editionis* COMMELIANÆ, p. 38. quæ ab his quatuor in multis abit. Sic autem ſonat:

Symbolum S. ATHANASII *de fide Catbolicâ.*

1. Εἴτις θέλει σωθῆναι, πρὸ πάντων χρὴ αὐτοῦ τὴν καθολικὴν κρατῆσαι πίστιν. ἣν εἰ μή τις ὑγιῆ καὶ ἄμω-

μον

μον τηρήσειεν, πάσης ἀμφιβολίας ἐκτὸς εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολεῖται.

2. Πίστις δὲ καθολικὴ αὕτη ἐστὶν, ἵνα ἕνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι σέβωμεν, μήτε συγχέοντες τὰ πρόσωπα μήτε τὴν οὐσίαν διαιροῦντες.

3. Ἄλλη γάρ ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς ὑπόστασις, ἄλλη τοῦ υἱοῦ, καὶ ἄλλη τοῦ ἁγίου πνεύματος.

4. Ἀλλὰ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, μία ἐστὶ θεότης, ἴση δόξα, συνδιαιωνίζουσα μεγαλειότης.

5. Οἷος ὁ πατὴρ, τοιοῦτος καὶ ὁ υἱὸς, τοιοῦτον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

6. Ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα.

7. Ἄμετρος ὁ πατὴρ, ἄμετρος ὁ υἱὸς, ἄμετρον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Αἰώνιος ὁ πατὴρ, αἰώνιος ὁ υἱὸς, αἰώνιον καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα.

8. Καὶ ὅμως οὐ τρεῖς αἰώνιοι, ἀλλ' εἷς αἰώνιος. ὥσπερ οὐ τρεῖς ἄκτιστοι, οὐδὲ τρεῖς ἄμετροι, ἀλλ' εἷς ἄκτιστος καὶ εἷς ἄμετρος.

9. Ὁμοίως παντοκράτωρ ὁ πατὴρ, παντοκράτωρ ὁ υἱὸς, παντοκράτωρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ ὅμως οὐ τρεῖς παντοκράτορες, ἀλλ' εἷς παντοκράτωρ.

10. Οὕτω θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἀλλ' ὅμως οὐ τρεῖς θεοὶ, ἀλλ' εἷς θεός.

11. Ὡσαύτως κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱὸς, κύριος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ ὅμως οὐ τρεῖς κύριοι, ἀλλ' εἷς ἐστὶ κύριος.

12. Ὅτι ὥσπερ μοναδικῶς ἑκάστην ὑπόστασιν, θεὸν καὶ κύριον ὁμολογεῖν χριστιανικῇ ἀληθείᾳ ἀναγκαζόμεθα, οὕτω τρεῖς θεοὺς, ἢ τρεῖς κυρίους λέγειν, καθολικῇ εὐσεβείᾳ κωλυόμεθα.

13. Ὁ πατὴρ ἀπ' οὐδενός ἐστι πεποιημένος, οὔτε δεδημιουργημένος, οὔτε γεγεννημένος.

14. Ὁ υἱὸς ἀπὸ μόνου τοῦ πατρός ἐστιν, οὐ πεποιημένος οὐδὲ δεδημιουργημένος, ἀλλὰ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πατρός.

15. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς, οὐ πεποιημένον, οὔτε δεδημιουργημένον, οὔτε γεγεννημένον, ἀλλ' ἐκπόρευτον.

16. Εἷς οὖν ἐστι πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες. εἷς υἱὸς, οὐ τρεῖς υἱοί. ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια.

17. Καὶ ἐν ταύτῃ τῇ τριάδι οὐδὲν πρῶτον ἢ ὕστερον. οὐδὲν μεῖζον, ἢ ἔλαττον. ἀλλ' ὅλαι αἱ τρεῖς ὑποστάσεις συνδιαιωνίζουσαι ἑαυταῖς εἰσὶ καὶ ἴσαι.

18. Οὕτως ἵνα διὰ πάντων ὥσπερ ἤδη προείρηται, καὶ τρίας ἐν μονάδι, καὶ μονὰς ἐν τριάδι λατρεύηται. Ὁ θέλων οὖν σωθῆναι, οὕτω περὶ τῆς ἁγίας τριάδος νοείτω.

19. Ἀλλ' ἀναγκαῖον δέ ἐστιν πρὸς αἰωνίαν σωτηρίαν, ἵνα καὶ τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, βεβαίως πιστεύῃ.

20. Ἔστιν οὖν πίστις ὀρθὴ, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς, θεὸς καὶ ἄνθρωπος ἐστί.

21. Θεός ἐστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς πρὸ αἰώνων γεννηθεὶς, καὶ ἄνθρωπος ἐστὶν ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς, ἐν χρόνῳ γεννηθεὶς.

22. Τέλειος θεὸς, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑποστάς. Ἴσος τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἥττον τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.

23. Ὃς εἰ καὶ θεὸς ὑπάρχει καὶ ἄνθρωπος, ὅμως οὐ δύο ἀλλ' εἷς ἐστι Χριστός.

24. Εἷς

24. Εἷς δὲ οὐ τροπῇ θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα.

25. Εἷς καθόλου, οὐ συγχύσει φύσεων, ἀλλ᾽ ἑνώσει ὑποστάσεων.

26. Ὥσπερ γὰρ ψυχὴ λογικὴ καὶ σάρξ εἷς ἐστιν ἄνθρωπος, οὕτω θεὸς καὶ ἄνθρωπος εἷς ἐστι Χριστός.

27. Ὁ παθὸν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, καὶ κατέλθων εἰς τὸν ᾅδην, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστὰς ἐκ τῶν νεκρῶν.

28. Καὶ ἀνελθὼν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθήμενος ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς τοῦ παντοκράτορος, ὅθεν ἐλεύσεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

29. Οὗ τῇ ἐλεύσει πάντες ἄνθρωποι ἀναστήσονται σὺν τοῖς ἑαυτῶν σώμασιν, ἀποδώσοντες περὶ τῶν ἰδίων ἔργων λόγον.

30. Καὶ οἱ καλὰ πράξαντες, εἰσελεύσονται εἰς ζωὴν αἰώνιον, οἱ δὲ κακὰ, εἰς πῦρ αἰώνιον.

31. Αὕτη ἐστὶν ἡ καθολικὴ πίστις, ἣν εἰ μήτις πιστῶς τε καὶ βεβαίως πιστεύσῃ, σωθῆναι οὐ δυνήσεται.

Notandum autem eſt, in hoc Exemplari, legi quidem in *verſione Latinâ* §. 15. *Spiritus Sanctus* à Patre ET FILIO *non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* In *Græco vero, verba* ἀπὸ τοῦ υἱοῦ *non apparere.* Manifeſtum ergò eſt, non abſque cauſâ dubitare poſſe quempiam; *An voces*, ET FILIO, *Symbolo* ATHANASIANO à Latinis, *non ſint aliquibus exemplaribus inſertæ?* Præſertim cum ſic fecerint, ut vidimus, SYMBOLO NICÆNO. Eò fortius verò premit hoc Latinos, *quod hoc Symbolum*, abſque additione *harum vocum, in illorum monumentis reperiatur,*

Et à Græcis, utpote in quorum poteſtate non erat, detruncatas fuiſſe (ut Latini loquuntur) has Syllabas, *ſuſpicio vix eſſe poſſit.* Abuſus ſum, nimiâ prolixitate, tuâ patientia L. B. in recitandis diverſis formulis Symboli, quod perhibetur eſſe ATHANASII. Accipe tamen etiam *ſextam*, quam *Labbeus* ex Uſsherio, *Uſsherius ex* PATRICII JUNII *Apographo* A. 1647. *publici juris fecit.* Hunc in modum Græci legunt.

Εἴτις βούλοιτο σωθῆναι πρὸ πάντων αὐτῷ χρεία κρατῆσαι τὴν ὀρθόδοξον πίστιν. Ἣν ἐὰν μή τις ἀμόλυντον καὶ ἄφθορον τηρήσῃ, αἰώνιον εὑρήσει τὴν ἀπόλειαν. Πίστις οὖν ἡ ὀρθόδοξος αὕτη ἐστὶν, ἵνα ἕνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι σέβωμεν, μήτε συγχέοντες τὰς ὑποστάσεις, μήτε τὴν οὐσίαν διαιροῦντες.

Ἄλλη γὰρ ὑπόστασις, τοῦ πατρὸς, ἄλλη τοῦ υἱοῦ, ἄλλη τοῦ ἁγίου πνεύματος. Ἀλλὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μία ἐστιν ἡ θεότης, ἓν τὸ κράτος, μία ἐξουσία, μία βασιλεία, ἴση ἡ δόξα, ἴση ἡ μεγαλωσύνη καὶ αἰώνιος. Οἷος ὁ πατὴρ, τοιοῦτος ὁ υἱὸς, τοιοῦτον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς ἄκτιστοι, ἀλλ᾽ εἷς ἄκτιστος. Παντοκράτωρ ὁ πατὴρ, παντοκράτωρ ὁ υἱὸς, παντοκράτωρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Καὶ οὐ τρεῖς παντοκράτορες, ἀλλ᾽ εἷς παντοκράτωρ. Αἰώνιος ὁ πατὴρ, αἰώνιος ὁ υἱὸς, αἰώνιον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς αἰώνιοι ἀλλ᾽ εἷς αἰώνιος. Παντοδύναμος ὁ πατὴρ, παντοδύναμος ὁ υἱὸς, παντοδύναμον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ τρεῖς παντοδύναμοι, ἀλλ᾽ εἷς παντοδύναμος. Οὕτω θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Καὶ οὐ τρεῖς θεοὶ, ἀλλ᾽ εἷς ἐστὶ θεός. Κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱὸς, κύριος τὸ πνεῦμα τὸ

ἅγιον

ἅγιον καὶ οὐ τρεῖς κύριοι ἀλλ' εἷς ἐστὶ κύριος. καὶ ὥσπερ μοναδικῶς μίαν ἑκάστην ὑπόστασιν θεὸν καὶ κύριον ὁμολογεῖν Χριστιανικῇ ἀληθείᾳ συνηγοροῦμεν. Οὕτω τρεῖς θεοὺς ἢ τρεῖς κυρίους λέγειν οὐ συναινοῦμεν, ἀλλὰ παντελῶς ἀπαγορεύομεν. Πατὴρ γὰρ παρ' οὐδενός ἐστι ποιητὸς, οὐ κτιστὸς, ἀλλ' ἀγέννητος. Ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρός ἐστιν οὐ ποιητὸς, οὐ κτιστὸς ἀλλὰ γεννητός. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρός ἐστιν οὐ ποιητὸν οὐ κτιστὸν, οὐ γεννητὸν ἀλλ' ἐκπορευτόν. Εἷς λοιπὸν ὁ πατὴρ, οὐ τρεῖς. Εἷς υἱὸς, οὐ τρεῖς υἱοὶ, ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια. καὶ ἐν ταύτῃ τριάδι οὐδεὶς πρῶτος, ἢ ἔσχατος, οὐδεὶς μέγας ἢ μικρός. ἀλλὰ αἱ τρεῖς ὑποστάσεις αἰώνιαί τε εἰσὶ καὶ ἴσαι εἰς πάντα, ὡς προείρηται. μονάδα οὖν ἐν τριάδι καὶ τριάδα ἐν μονάδι πᾶς Χριστιανὸς εὐσεβείσθω, καὶ οὕτω περὶ τῆς ἁγίας καὶ ζωοποιοῦ καὶ ὁμοουσίου τριάδος δοξαζέτω.

Ἀναγκαῖον δέ ἐστι καὶ τὴν σάρκωσιν τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὀρθῶς πιστεύειν. Ἔστι οὖν ἡ πίστις ἡ ὀρθὴ, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς, θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστιν. Ἄκτιστός ἐστι καὶ οὐσία (* al. lect. Θεός ἐστιν ἐκ τῆς οὐσίας.) πατρός. Ἄνθρωπός ἐστιν ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρός. Ἐπειδὴ γὰρ ἁμαρτήσας ὁ Ἀδὰμ θανάτῳ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ὑπέβαλε, καὶ τὴν φύσιν ἡμῶν ὑπεύθυνον τῷ χρέει πεποίηκεν. ὁ υἱὸς λοιπὸν τοῦ ἀοράτου πατρὸς καὶ θεοῦ, τῶν οὐρανῶν οὐκ ἐκστὰς πρὸς ἡμᾶς κατῆλθε. καὶ δι' ἀκοῆς εἰσδὺς τὴν νηδὺν τῆς ἁγίας παρθένου, μυστικῶς τὴν κυοφορίαν εἰργάσατο, ἐνδὺς τὴν ἡμετέραν φύσιν, κατ' ἄκραν ἕνωσιν. Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος προελθὼν. οὕτω τὴν καθ' ἡμᾶς οἰκονομίαν ἐπλήρωσε δι' ἄφατον ἔλεον. Καὶ τέλειος θεὸς ὢν γέγονε τέ-

νε τέλειος ἄνθρωπος, μὴ τραπεὶς, μὴ ἀλλοιωθεὶς τὴν ὑπερούσιον καὶ ἄφραστον οὐσίαν τῆς αὐτοῦ θεότητος. ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς οὐσιωθείς. Αὐτὸς ἑαυτῷ σὺν τῷ συμφυεῖ αὐτοῦ παναγίῳ πνεύματι δημιουργήσας τὴν παναγίαν τῆς σαρκὸς πρόσληψιν. τέλειαν οὐσίαν ἀνθρωπίνην ἐνυπόστατον αὐτῷ καὶ ἀδιαίρετον ἐξ αὐτοῦ, ἁμαρτίας ἀμέθεκτον. Ἐκ τῶν παρθενικῶν ἁγνῶν αἱμάτων τῆς θεομήτορος συμπαγέντος τοῦ σώματος, χωρὶς τινὸς θελήματος ἢ ἐννοήματος σαρκικοῦ, τῆς δὲ ψυχῆς αὔλως κτισθείσης, νοερᾶς, λογικῆς, θελητικῆς, ἐνεργητικῆς, ὅλης τεθεωμένης σὺν τῇ σαρκὶ, ἐξ αὐτῆς ἀρχῆς, ἐκ πρώτης ὑπάρξεως, διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν τὸν θεὸν λόγον ἄκραν ἕνωσιν, ἀσύγχυτον καθ᾽ ὑπόστασιν. Ἴσος οὖν ἐστι τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττων δὲ τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. Καὶ ὄντως ἀληθινὸς ὑπάρχει θεὸς καὶ ἄνθρωπος. Ὅμως οὐ δύο, ἀλλ᾽ εἷς ἐστὶν ὁ Χριστός. εἷς δὲ, οὐ τραπεῖσα ἡ σάρξ, ἀλλὰ ἀναλειφθεῖσα εἰς τὸν θεόν. Εἷς ὁλικῶς οὐ συγχύσει οὐσιῶν, ἀλλ᾽ ἑνώσει τὸ καθ᾽ ὑπόστασιν. Καὶ γὰρ ὥσπερ ψυχὴ λογικὴ καὶ σὰρξ εἷς ὑπάρχει ἄνθρωπος, οὕτω καὶ θεὸς καὶ ἄνθρωπος εἷς ἐστὶν ὁ Χριστός. Ὃς ἔπαθε τῇ σαρκὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἀπαθοῦς τῆς θεότητος μενούσης. καὶ ταφεὶς, καὶ ἀναστὰς, καὶ ἀναλειφθεὶς εἰς τοὺς οὐρανοὺς, ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ καὶ πατρός. ἐκεῖθεν δὲ πάλιν ἐρχόμενος κρινεῖ ζῶντας καὶ νεκρούς. οὗ τῇ παρουσίᾳ πάντες οἱ ἀπ᾽ αἰῶνος κεκοιμημένοι ἄνθρωποι ἀναστήσονται, λόγον ἀποδοῦναι περὶ τῶν πράξεων αὐτῶν. καὶ οἱ μὲν τὰ ἀγαθὰ πράξαντες, πορεύσονται τῷ κελεύσματι αὐτοῦ εἰς αἰώνιον ζωήν. Οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες, πορεύσονται εἰς αἰωνίους κολάσεις. Αὕτη τοίνυν ἐστὶ ἡ ὀρθόδοξος πίστις, ἣν ὁ μὴ τηρήσας ἀμώμητον, σωθῆναι οὐ δύναται.

Ex diverſis his *Symboli Athanaſiani* formulis, quæ ſit ipſius Athanaſii, tuum, *Lector B.* erit divinare. Omnes has, *unius eſſe Autoris*, *tàm inſignes mutationes non concedunt*, *ut credam.* Confirmor in hâc ſententiâ, *intertextas eſſe has voces*, ϰὶ τῦ ὐιῦ ἐϰπόρευον, *Symbolo Athanaſiano à Latinis*, *tùm ob rationes ſuperius allegatas*, *tùm ob hanc quoque:* quod usque ad Seculum XIV. nemo contrà Græcos Symbolum ATHANASIANUM produxerit: Cum tamen controverſia DE SPIRITUS SANCTI PROCESSIONE jam quingentos annos durâſſet. Vid. *Voſſius* de tribus Symbolis p. 51. 52. Quo argumento certè uſi fuiſſent Latini, ſi non factæ corruptionis ſibi fuiſſent conſcii.

(*b*) Communis eſt ſententia, Patres ſeu Epiſcopos, qui Concilio Nicæno interfuerunt, fuisſe numero 318. *Euſebius* tamen lib. 3. de *vitâ Conſtantini Magni* aſſeverat fuiſſe 250. tantùm. Audiendus nobis eſt ad hunc locum Euſebii, *Heinricus Valeſius* p. 221. *De numero Epiſcoporum qui Nicænæ Synodo interfuerunt*, *non convenit inter Antiquos.* Euſebius *quidem hoc loco ducentos & quinquaginta fuiſſe ſcribit.* Euſtathius *verò* Antiochenus in *Homiliâ de verbis illis*, quæ in *Proverbiis Salomonis* leguntur: *Dominus creavit me*: *ducentos circiter ac* ſeptuaginta *illos fuiſſe dicit*; *neque enim ſe accuratè eorum numerum ſubduxiſſe. Verùm conſtantior fama eſt*, *& recentiorum omnium conſenſu firmata*, trecentos & octodecim *Epiſcopos in illâ Synodo conſediſſe.* Melchitarum verò &

Cophtitarum editiones in aliud procurrunt extremum,& manifeſtè ſibi contradicere videntur. Etenim licet utraque hanc ſingulis præmittat titulis inſcriptionem; *Concilium Nicænum 318. Patrum.* vid. T. II. Conc. p. 401. Nihilo tamen minus prima aſſerit, ad hoc Concilium conveniſſe 2048. Patres. Altera eundem ponit in ipſâ lineâ numerum, ad latus vero habet 2348. Exiſtimabat *Abrahamus* ECCHELLENSIS *Maronita*, hunc numerum eſſe intelligendum de Clericis cujusque ordinis, qui varias ob cauſas ad hoc Concilium confluxerunt. *Verum placuit poſteà Ecchellenſi retractare hanc ſententiam.* Sed alio utitur effugio. *Ante Concilium (ſcribit)* Nicænum *fuiſſe plures unius urbis Epiſcopos, idque patere ex ſubſcriptionibus Arabicis. In* Concilio verò Nicæno *Can. LIV. ordinatum fuiſſe:* Ne duo vel plures Epiſcopi ſint in unâ civitate. *Conveniſſe ergò ad Concilium Nicænum 2048. vel 2348. Epiſcopos, ex quibus tamen electi ſint* 318. Sed ruinoſum eſt fundamentum, cui aſſertionem hanc ſuperſtruit Ecchellenſis, CANONES ſcil. ARABICI, maximorum virorum Judicio, *ſpurii. Tribuat illis tantum non omnia Turrianus, Ecchellenſis, & ſi qui ſunt alii, qui eos ſequuntur.* BARONII judicium de his Canonibus flocci pendendum non eſt. *Ut liberè dicam, ſcribit* (ad An. 325. n. 62. Tom. III. Annalium) *ſomnia ſunt hæc omnia* (quæ ſcilicet de Canonibus Arabicis dicuntur) *utinam falſus conjector inveniar! Nam illud ſcimus, omne ſeculum, quod ab eo tempore ad noſtram usque ætatem inter-*

lapſum

lapſum eſt, cupidiſſimum fuiſſe tàm egregiæ atque nobiliſſimæ antiquitatis, nec tamen eâ hominum quenquam potitum eſſe. Nec ignoramus ex compluribus conciliis Oecumenicis, in quæ ex omnibus provinciis Orientis & Occidentis *eruditi Epiſcopi convenêre, cum ſæpius* Nicænorum actorum *opportuna mentio ſe offerret, aliqua illorum nominetenus cognita, vel citata. Nec nos latet ſub* HONORIO Imp. *cum de Nicæno Canone controverſia fuiſſet exorta, publicâ legatione Africanorum Epiſcoporum ad Orientalium ſedium præcipuos Antiſtites miſſâ, eſſe omnia Eccleſiarum Archiva reſerata, atque abdita, quæque penetralia perveſtigata, nec quicquam, præter illa, quæ hodie habentur, de Nicæno Concilio, inventa eſſe.*

(c) Ruffinus in expoſitione Symboli de ſuâ ætate teſtatur; *nullum aliud Symbolum Eccleſia in ritibus ſacris novit, quam Apoſtolicum.* In Eccleſiâ Orientali ante Nicænum Symbolum aliud erat, *quod* VETUS appellabant, quod verò illud vetus fuerit, non poteſt exactè adeò definiri. Exiſtimat tamen *Gerh. Joh. Voſſius* de 3. Symbolis diſſ. 1. p. 31. nos *Vetus, vel ei proximum habituros Orientis Symbolum, ſi à Nicæno reſecemus, quæ adverſus Arium ſtatuta ſunt.* Seculo VI. TIMOTHEUS Conſtantinopolitanus Patriarcha ab amicis rogatus, SYMBOLUM fidei trecentorum decem & octo Patrum per ſingulas ſynaxes dici curavit. Cum antea ſemel tantum in anno, in Paraſceve ſcilicet Dominicæ Paſſionis, tempore quo Epiſcopus catechizabat, recitatum

 eſſet.

eſſet. *Voſſius* diſſ. III. de 3. Symb. p. 65. Walafridus Strabo in eâ eſt ſententiâ: *A Græcis ad Romanos, ac deinde ad Hiſpanos profectum eſſe, ut inter Miſſarum ſolennia Symbolum* NICÆNUM *recitetur.* (Adde Goäris notas in Euchologpag. 135.) Apud Gallos verò & Germanos Caroli M. tempore, damnatâ *Felicis Urgelitani* hæreſi, Symbolum Nicænum latius crebriusque in Miſſarum officiis cœpiſſe iterari. BERNO tamen *Augienſis* recitationem Symboli Nicæni facit multò recentiorem. HEINRICI I. *temporibus*, ſeculo demum XI. ad preces & inſtantias Imperatoris, *à Clero Romano morem cantandi* SYMBOLUM NICÆNUM *ſuſceptum fuiſſe in Eccleſiâ* ROMANA, facto initio in ipſius coronatione. Vid. *Card. Baronius* Anno 809. T. IX. Annalium à n. 67. usque ad 81. *Severinus Binius* Tom. VIII. Conc. pag. 642. 643.

Præter alia Eccleſiaſtica Sacramenta hæc duo, (*a*) videlicet Baptismum & Euchariſtiam, ſive cœnam Domini, præcipua habent.

(*a*) De nomine SACRAMENTI, cum vox ſit ἄγραφ☉, cum *Philippo Melanchthone* nemini litem movebo, uti nec de numero Sacramentorum. Si in laxiori ſumis ſignificatu, plura quam ſeptem

ſeptem erunt Sacramenta, ſcribit *Bellarminus* l.2. de effectu Sacram. c.28. Hinc *Auguſtinus in Pſal. 141.* Signum crucis Sacramentum vocat. *In Pſ. 65.* ac *lib.IV. de Symb. c.1.* Ceremonias quæ fiunt ante Baptismum. *Lib.2. de Peccat. merit. & remiſſ. c. 26.* Sacramenti nomine venit, panis quidam benedictus qui dabatur Catechumenis. Denique *Ambroſius l. 5. de Sacram: c. 1. Cyprianus Serm. de* ablutione pedum. *Bernhardus Serm. de Cœnâ Domini contendunt;* Ablutionem pedum, quam Dominus inſtituit, ſacramentum eſſe. Hoc tamen obſervandum eſt, falſò provocare Pontificios in materiâ de Sacramentis eorumque numero ad GRÆCÆ Eccleſiæ conſenſum, quos inter eſt *Laurentius Forerus* Jeſuita in ſcripto poſthumo Germanico: Wunder über Wunder p. 359. in quo ex *Tannero* noſtrates convincere vult: *Orientales in doctrinâ de* numero Sacramentorum *cum Pontificiis convenire.* An vera ſint quæ ſcribit *Forerus*, patebit, ſi ſententiam Latinorum ex *Concilio Tridentino*, & Græcorum, ex ſuorum ſcriptis propoſuerimus. *Concilium Tridentinum* Seſſ. VII. Can. I. p. 86. *edit. Chiffletianæ*, hoc nobis edit oraculum: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia* (1) à Chriſto inſtituta, *& eſſe plura, vel pauciora,* quam ſeptem, *videlicet* (2) Baptismum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium; *aut etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe* verè ac (3) propriè Sacramentum, *Anathema ſit.* At. I. *Antonius Caucus* Venetus, Archiepiſco-

epiſcopus Corcyrenſis ſcribit: *Græci exceptis* Baptiſmo & Cœnâ Domini, *Sacramentorum Divinam inſtitutionem & originem negant.* Vid. Dn. D. *Haberkorn* in vindicato Anti-Forero, p. 537. *Metrophanes inter* Sacramenta *à Chriſto inſtituta ponit* Baptiſmum & Cœnam Domini, *cui poſt addit* Pœnitentiam. *Conf.* c. V. p. 72. 73. *reliqua verò vocat* ritus myſticos. *Jeremias Patriarcha* in reſpōſo II. ad *Tubingenſes* ſcribit. *Quamvis cæteris ſacramentis potiora ſint* Baptiſmus & Divina communio, *& ſine illis ſalus nullo modo contingere poſſit, proptereàque ſola exſtent* in ſcripturâ, *attamen & reliqua, quæ cum his ſeptenarium numerum explent, tradita ſunt* ab Eccleſiâ. II. *Græci aliter recenſent Sacramenta*, quam fit apud Latinos. Vocant ſacramenta nonnulli *habitum monaſticum* & *ritum defunctorum.* Vid. Dn. D. *Haberkorn* loco ſup. citato. Teſtibus *Johanne Sacrano* Canonico Cracovienſi, & *Petro Scargâ* Jeſuitâ, *Ruſſi negant*: CONFIRMATIONEM eſſe ſacramentum. *Fhelavius* in Annot. ad c. XIV. Angeli p. 182. Ex *Alphonſo* itidem *de Caſtro* conſtat: *Guidonem Carmelitam de Græcis affirmare, quod Pontificiorum Confirmationem inter Sacramenta non recipiant. Dn. Beer.* in der gründlichen Widerlegung c. V. p. 257. Hoc certum eſt, *Photium* Patriarcham Conſtantinop. in Eccleſiâ Romanâ hoc ut impium damnare: *quod Chriſmate inunctos per ſacerdotes, denuo inungere non dubitent per Epiſcopos, & presbyterorum Chriſma inutile quiddam ac fruſtrà factum comminiſcantur.* Vid. Ep. ejus II. ea-

que Encyclica ſect. 6. 7. III. *Metrophanes* quidem, præter Baptiſmum, Euchariſtiam & Pœnitentiam *ſacramentis annumerat* Chriſma, Ordinem Sacerdotum, Primas Nuptias & Oleum precum. ὁμωνύμως tamen τελεταὶ μυστικαὶ καλεῖναι μυστήρια καλούμεναι παρὰ τῇ Ἐκκλησίᾳ, διὰ τὸ μυστικὸν καὶ πνευματικὸν ταύταις ἐμπεριέχεσθαι (*homonymicè iſti ritus myſtici* myſteria *ab Eccleſiâ appellati, quod myſticum & ſpirituale quid iis contineatur*, ſcribit idem *in Conf.* c. V. p. 74. *At* ὁμωνύμως *eſſe ſacramenta*, & verè ac PROPRIE eſſe ſacramenta, *ſunt termini utique inter ſe pugnantes*. Prolixus aliàs eſt in hâc materiâ *Fhelavius* in annot. ad Angeli c. 14. p. 164. & ſeq.

Euchariſtiæ, ſive Cœnæ Domini Sacramentum antiquitus in Eccleſiâ ſervatum, ſub (*a*) utraque ſpecie, nimirum panis (*b*) fermentati & (*c*) vini retinent.

(*a*) Sub UTRAQUE SPECIE Græcos communicare, eò quod ſub utraque ſpecie mandatum eſſe exiſtiment, probat Dn. *D. Haberkorn* p. 467. Vindic. Anti-Foreri, ex *Caſſandro*, Jeremiâ Patriarchâ Conſtantinopolitano, *Leone Allatio*, Nihuſio, *Jacobo Goare*, Abrahamo Ecchellenſi, *Gabriele Sionita* & aliis. Nec aliter ſentit ſæ-

 piùs

pius allegatus Metrophanes, Conf. c. IX. p. 98. *Omnes porro eorum* (inquit) *quæ in menſa Dominicâ ſunt, utramque ſpeciem participant*, panis inquam & calicis, *tàm Eccleſiaſtici, quàm Laïci, tàm viri, quàm fœminæ*. Paulo poſt ſcribit: *Cauſa quare omnes cœnam Dominicam in utrâque ſpecie participent*, hæc eſt, *quod omnes vitâ indigeant, quam ſine ſumtione Dominici corporis & ſanguinis adipiſci, impoſſibile eſt.*

(*b*) *Cruſius in Turco-Græciâ*, p. 76. inter ea in quibus Græci cum Latinis diſſentiunt, numerat etiam panem Euchariſticum, verba ejus hæc ſunt: *Reprehendunt etiam Latinos, quod ἄζυμα adhibeant εἰς θυσίαν*, non *ἔνζυμα*, *ut ipſi*. Orta eſt (*ſi Bellarmino* fides habenda eſt) hæc Controverſia circa annum 1083. Tunc enim Græci Latinos notârunt, *quod Azymum panem in Sacramento ſumerent, unde* AZYMITAS *eos vocare auſi ſunt*. Lib. VI. de Euchariſtiâ c. 7. Defendit autem pro viribus in fermentato communicandum eſſe, non in Azymis, *Metrophanes* Critopulus. Conf. c. IX. p. 90. Inter alias rationes etiam hanc profert: *quod* Apollinaris *hæreticus, cum ſtatueret Dominum carnem ſine anima & mente aſſumſiſſe, ad hæreſin, ſeu blaſphemiam hanc confirmandam non obtulerit in myſterio panem, ſed* azyma, *dicens: quod anima eſt corpori, hoc fermentum eſt pani; quam hæreſin deteſtans* Eccleſia, *panem fermentatum offert in myſterio ejus, qui carnem & animam intelligentem, rationalem & ſemper mobilem pro nobis aſſumſit.* Alphonſus *Bovoſus* Canon.

non. Reg. S. Salvat. diſp. ſecundâ Catholicâ de ritu Romanæ Eccleſiæ conſecrandi in Azymis, habitâ Bononiæ, Anno Seculi hujus ſeptimo; cauſam, cur Græci in fermentato conſecrent, aliam profert, verbis ſequentibus: *Non condemnamus* Eccleſias Orientales, *quas omnes conſtat ante plurimos annos* conſecrâſſe in fermentato *cogente id quorundam Judaïzantium hæreſi*, qui Judaicum Azyma *ſuperinducere conabantur, id confirmantes Chriſti & Apoſtolorum exemplo*, qui in Azymis conſecraverunt. *Quibus ut ipſo facto reſiſterent, cœperunt omnes celebrare in fermentato.* p. 57. Sed forſitan etiam in priſcâ Eccleſiâ LATINA *fermentatum panem* in uſum Euchariſtiæ adhibuerunt. Juxtà nonnullos certè Pontificios celeberrimos non *Eulogiæ* ſolùm, ſed ipſa *Euchariſtia* FERMENTUM vocabatur, quod negare non omninò audet Jac. *Sirmondus*, quamvis *aliam rationem* appellationis *comminiſcatur: Fermentum* ſc. *dici* Euchariſtiam, non quod ex pane FERMENTATO ſit, ſed ipſa, ex *quocunque pane fiat*, Eccleſiis, ad quas mittebatur, *fermenti vicem* præſtet, eisque unionis vinculum ſit, ſicut *fermentum* maſſæ: Carolus *Du Freſne* T. II. Gloſſarii p. 382.

(*c*) Vinum non merum, ſed *κρᾶμα* Græci in Euchariſtiâ uſurpant. Teſtis nobis iterum erit Metrophanes Conf. c. IX. p. 90. *In cœnâ Domini requiritur primò materia à Domino tradita. Eſt autem hæc*, panis FERMENTATUS *unus*, & MIXTUM, hoc eſt *vinum aquæ admixtum.* Addam quæ de Moſcis ſcribit *Neugebaurius*: Miſſæ ſacrificium

ficium, *more Græcorum* pane fermentato & non Azymo *peragunt*. Calici item tantum aquæ, *quantum vini rubri admiſcent*, *quam etiam* aquam volunt eſſe calidam, *quod ex latere Servatoris noſtri profluxerit ſanguis & aqua*, *quam fuiſſe calidam, credere pium exiſtimant*, *alioquin enim miraculum vix cenſeri poſſe*. Vid. *Fbelavium* in notis ad Angelum p. 149. & Notas Goaris in Miſſam S. Chryſoſtomi p. 149. qui fervidæ aquæ meminit. Non heri autem, vel nudius tertius κρᾶμα in Euchariſtiâ adhibebatur. Veriſimile eſt (*ſcribit* B. Chemnitius *part. II. Exam. p. 308.*) Chriſtum vinum non merum, ſed temperatum bibiſſe. *Et quia in* primitivâ Eccleſiâ *poſt communionem* convivia, quæ ἀγάπας *appellabant*, *magnâ ſobrietate*, de pane & vino ad menſam Domini oblato, *celebrabantur*, *non merum*, ſed mixtum, ſeu temperatum vinum *obtulerunt*, [ideo calix *ab Irenæo* lib. 4. c. 27. *mixtum* vocatur,] & *ne gentes calumniarentur*: Chriſtianos cœnam Domini celebrare crapulæ, aut ebrietatis gratia, *Veteres ſumſerunt* vinum mixtum, ſeu temperatum; *imo quidam*, *prætextu ſobrietatis*, *ſolam aquam ſumſerunt*.

Ad communionem ſe præparantes, prius per ſpatium totius ſeptimanæ, tam Clerici, quam Laici, precibus matutinis, horarum tertiæ, ſextæ & nonæ, veſperti-

ſpertinis & completoriis, Eccleſiam quolibet die ter & quater adeundo&(*a*)devotioni(*exceptis* gravi morbo *affectis*) cum (*b*) ſtrictiſſimo jejunio Deum pro delictis ſuis (*c*) placando, invigilare debent & faciunt.

(*a*) Proponitur in Sanctiſſimo hoc epulo convivis vita & mors; cautè ergo agendum eſt comedentibus & bibentibus, ne pro vitâ mortem eligant. Hinc illud vas electionis, Paulus 1. Cor. XI. Vult: *ut homo ſeipſum prius probet*. Hæc probatio nihil aliud eſt, *quam ſcrutinium conſcientiæ*. Quâ de cauſâ Theodoretus ad hunc locum Paulinum ita ſcribit: Ἐρεύνα τὸ συνειδὸς καὶ τότε δέχου τὸ δῶρον. Conſcientiam ſcrutare & tunc donum (*Euchariſtiam*) ſuſcipe. Huic *ſcrutinio* optimè à Græcis modernis junguntur *preces*. Evolve Reſponſum I. Patriarchæ *Jeremiæ* ad Auguſtanam Confeſſionem p. 96. *Præparatio autem ad id opus conducibilis ſunt* preces, pſalmorum cantiones, frequens lectio S. literarum; *denique omnia, quæ ante conſecrationem divinorum donorum & poſt conſecrationem ritè fiunt dicunturque*. Critopulus *condonationem fraternam* addit, *jejunium*, & *ſi quæ ſunt alia*, de quibus ſtatim notâ ſequenti. Vid. *Conf.*

Conf. p. 100. Hæc etiam ad dignè percipiendam ſacram ſynaxin requiſiviſſe Patres Eccleſiarum, ætati Apoſtolorum viciniores, arguunt illa verba S. Auguſtini lib. de Dogmat. Eccleſiaſt. c. 53. (*quem librum tamen nonnulli* Gennadio Maſſilienſi *tribuunt.* Vid. Rob. Coci *cenſuram* p. 41.) *Quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, communicaturus ſatisfaciat lacrumis* & orationibus, *& confidens de Domini miſericordiâ, qui peccata piæ confeſſioni condonare conſuevit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus.*

(*b*) Autor noſter ad præparationem, Euchariſtiæ præmitti ſolitam, *jejunium requirit ſtrictiſſimum.* Metrophanes cap. IX. p. 100. *modicum*, ſive *mediocre.* Et hic mos jamdudùm in Eccleſiam introductus eſt. Nam cum admodùm præclarè de jejunio ſentirent priorum ſeculorum Eccleſiæ Chriſtianæ Antiſtites, & jejunio tantùm non omnia tribuerent, præmittendum illud voluerunt ſanctiſſimo huic convivio. Poſteà non die ſolum communionem præcedente jejunabant, verum etiam ipſo die communionis, antequam τὰς ἁγίας μερίδας acciperent, à cibis abſtinebant. Audi Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopum S. *Auguſtinum* Ep. 118. ad Januarium. *Placuit* Spiritui Sancto, *ut in honorem* tanti ſacramenti, *in os Chriſtiani prius* Dominicum corpus intraret, *quam cæteri cibi.* Metrophanes inſuper à percepturis Euchariſtiam requirit *vigilias, abſtinentiam à conjugibus, erogationem Eleëmoſynarum,*

rum, & peccatorum coram ſpirituali Patre confeſſionem. Confeſſ. c. IX. p. 101.

(c) Abſit hoc, ut exiſtimes, Græcos in eâ eſſe opinione, *ac ſi his pietatis exercitiis remiſſio peccatorum poſſit impetrari.* Metrophanes c. X. p. 106. *per hanc & aliam communicantibus injunctam & ab ipſis electam voluntariam afflictionem, Dei temporalem virgam, ſaltem mitiorem eos experiri* aſſeverat. Nec alia mens fuit quondam Eccleſiæ Romanæ, ſi *Caſſandri* ſtamus ſententiâ, ad art. XII. Conf. Aug. p. 74. *Quamvis* (ſcribit) *virtute ſatisfactionis Chriſti*, & culpa & pœna æterna *peccato debita deleatur, certum eſt tamen Deum* à pœnitentibus, ob graviora delicta, *lacrumas*, jejunia, *preces*, Eleëmoſynas & *reliqua* veræ pœnitentis animi *indicia, ac denique totius vitæ* in melius immutationem *ac emendationem requirere. Quod dum facimus*, Deo ſatisfacere pro peccatis dicimur. *Non quod* precium dignum & ſufficiens diluendis peccatis offeramus, *ſed quod officia illa præſtemus, quæ Deus à peccatore, cui filii ſui ſatisfactionem impertiri velit, requirit. Quum & hujusmodi pœnitentiæ fructibus*, ſeu ſatisfactionis *operibus, Deus placari*, peccata redimi & extingui *dicantur: tùm quia*, ſi ex motu & afflatu Spriritus S. *fiant, ad* impetrandam remiſſionem *peccati faciant, & pœnas quas inflicturus erat Deus, avertant; cùm, quia reliquias peccati extenuent, ac minuant*, videlicet *quâ ratione* Eleëmoſynis *dicuntur redimi peccata*, ac jejuniis ac precibus *Deus placari*. p. 74. & 76. *edit. Conring.*

Propin-

Propinquo autem die *Sabati* (Sabbati) vel Dominico, ad ſignum (*a*) majoris Campanæ tempore conſueto datum, omnes ad Eccleſiam conveniunt. Et precibus, per ſacerdotem (*b*) ante communionem recitandis, exauditis, (*c*) Sacrum ſive Liturgiam, magnâ cum devotione & lacrumarum profuſione audiunt.

(*a*) Campanarum uſus, correctis gentilium ſacris, in Eccleſiam introductus eſt, à *Paulino Epiſcopo Nolano*, Hieronymi coævo; *ut nimirum earum ſtrepitu exciri poſſent ſemotiùs habitantes, ad conciones precationesque.* Græci campanas à Venetis primùm acceperunt, cum anteà *conſuetudo eſſet pulſandi ligna ad convocandum populum*, referente *Calviſio* Op. Chronol. p. 486. & 559. Hodiè ſub Turcarum imperio *campanarum uſus Græcis interdictus eſt*, ut teſtatur *Leonhardus* Rauchwolff lib. 3. Der Orientaliſchen Reiſsbeſchreibung p. 406. *Fhelavius* in Ep. dedicat. ad lib. Chriſtophori *Angeli*. Convocant *ergo hodiè*, ut

ut quondam, *populum* inſtrumento ligneo: Sie gebrauchen an ſtatt deß Kirchengeläuts ein langes Bret/auf welches ſie klopfen und ſchlagen/ daß es laut erſchallet; zu letzt haben ſie ein Eiſen darauf ſie ſchlagen / klinget wie eine Cymbel. Vid. Magnif. Dn. Fürer. Reisbeſchreibung p. 192. Relatio hiſtorica Vernalis *Francofurtenſis An. 73.* hujus Seculi hæc habet: *Turcam* Græcis *multa conceſſiſſe privilegia, & inter ea etiam hoc eſſe:* Ut campanarum pulſu ſacra peragere, ipſis ampliùs prohibitum non ſit. *Muſcobitæ verò* CAMPANAS *maximi faciunt.* Das Geläut halten ſie für ein nothwendig Ding zu ihrem Gottesdienſt / und vermeinen daß derſelbige ohne das Klingen unvollkommen ſey. Darum verwunderten ſich einsmals die Priſtaffen/als die Schwediſche Herrn Legaten am Michaelis Tag ſagten: Sie wolten auch ihren Brasnick halten; wie es doch möglich/ daß ſie in Moſcau Brasnick halten könten / weil ſie ja keine Glocken mit ſich genommen hätten. Vid. Olearium in der Perſianiſchen Reisbeſchreibung p. 178. 179.

(*b*) Quæ preces communionem præcedant, nec noſter *Autor*, nec *Metrophanes* nos docet. Sine dubio, cum Græci πατροπαραδότων ſint tenaciſſimi, precibus utuntur, quæ in primitivâ Eccleſiâ jam uſu receptæ fuerunt, de quibus ita *Gennadius* lib. de Dogmat. Eccl. c. XXX. *Cum ſanctarum plebium præſules mandatâ ſibimet legatione funguntur, apud Divinam clementiam humani generis agunt cauſam, & totâ ſecum* Eccleſiâ *congemi-*

cente, *poſtulant & precantur: ut infidelibus* donetur fides; *ut Idololatræ* ab impietatis ſuæ liberentur erroribus; *ut Judæis* ablato cordis velamine, lux veritatis appareat; *ut hæretici* Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant; *ut Schismatici* Spiritum redivivæ charitatis accipiant; *ut lapſis* pœnitentiæ remedia conferantur; *ut denique Catechumenis* ad regenerationis Sacramenta perductis, cœleſtis miſericordiæ aula reſeretur. *Calixtus* diſp. de Sacrif. Chriſti initerabili th. 32. 33. 34. *Hildeb.* de precibus Veterum Chriſt. lib. 11. n. 24. In canone Baſilii (*Chytræus* Orat. de Statu Eccl. Græcæ p. 16.) *preces offerunt* pro Eccleſiâ Catholicâ, *pro iis qui obtulerant Eleëmoſynas*, pro Imperatore, *pro omni populo*, pro Repub. pro Archi-Epiſcopo *& omnibus miniſtris Eccleſiæ*, pro fœcundis tempeſtatibus, *pro extirpatione hæreſium & Schismatum. Denique ut omnes, uno corde ac ore*, Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum in omnem æternitatem *celebrent*. Gemina his habentur in Liturgiâ Chryſoſtomi, prout allegat dictus Dn. D. *Chytræus* p. 17. & Euchologium Græcorum Miſſam S. Chryſoſtomi nobis exhibet. Adde *Hildebrandum* de precibus veterum Chriſtianorum pag. 69.

(c) Deſumta eſt hæc appellatio ex Eccleſiâ antiquâ. *Cyprianus* l. de lapſis, Sanctum Domini Euchariſtiam vocat. Græci, præſertim *Chryſoſtomus*, τὰ ἅγια Vid. Caſaub. Exerc. XVI. p. 410. 411.

Paſſio-

Paſſionis autem Chriſti (*a*) commemoratione in Sacro, panis quoque & vini per verba (*b*) inſtitutionis conſecratione à ſacerdotibus ſacrificantibus (*c*) abſolutâ, Archidiaconus vel Sacerdos, accepto ex Altari calice & vertendo ſe (*d*) vultu ad populum, calicem ſurſum (*ad inſtar* Chriſti in crucem *ſublevationis*) ſublevans, hæc verba proclamare ſolet: (*e*) Cum timore Domini & cum fide accedite!

(*a*) Chriſtum in ſui commemorationem Euchariſtiam nobis reliquiſſe, teſtantur verba inſtitutionis, teſtantur pii, priſcæ Eccleſiæ, Patres. Hinc ſacra cœna ipſis vocatur δῶρον ἐξιτήριον. *Donum à diſcedente datum.* Subjungenda ſunt *Hieronymi* verba, ad cap. XI. 1. Ep. ad Corinthios. *Chriſtus etiam paſſurus ultimam nobis commemorationem, ſive memoriam dereliquit:* Quemadmodum ſi quis peregrè proficiſcens aliquod

 pignus

pignus ei quem diligit, derelinquit, *ut quotieſcunque illud videat, poſſit ejus beneficia & amicitias memorare.* Quod ille, ſi perfectè dilexit, ſine ingenti deſiderio non poteſt videre, vel fletu. Similia reperies apud *Baſilium*, Auguſtinum, *Gaudentium*, Euſebium Emiſſenum, prout collegit πολυμαθέστατος *Caſaubonus* Exerc. XVI. c. 51. pag. 414. Adde Caſaubono *Calixtum* diſp. de Sacrif. Chriſti initerabili th. 50. Imò ipſa Liturgia Græcis nihil aliud eſt quàm Ἀντίτυπος paſſionis Chriſti, ut vel ex ſolâ Liturgiâ Chryſoſtomi videre poteris. p. 60. 61. in Euchologio Græcorum. Hieremias Patriarcha Reſp. I. p. 97. ita ſcribit: καθ᾽ ὃν ἐν αὐτοῖς ὁρῶμεν τὸν χριστὸν τυπούμενον καὶ τὰ ὑπὲρ ἡμῶν αὐτοῦ τὰ ἔργα καὶ πάθη. *In quibus videmus* Chriſtum typicè figuratum: *& illa quæ ad ſalutem noſtram tum fecit, tum paſſus eſt. Etenim in* Pſalmis & lectionibus & totâ Sacerdotis operatione *Domini Oeconomia & adminiſtratio* ſignificatur: *Principia ejus*, primis ſacrificii partibus repræſentantibus; *media* ſecundis; *reliqua* poſtremis: *ita ut ii qui hæc exactè intuentur, poſſint omnia illa oculis ſubjecta habere.*

(*b*) Quibus verbis CONSECRATIO fiat, inter Eccleſiæ Romanæ Doctores non conſtat, ut monſtrat, ex *Job. de Radâ* Arragonio, Guilielnus *Ameſius* Tom. III. *Bellarm.* Enerv. p. 153. Hermannus *Buſenbaum* in Medullâ Theol. Moral. p. 433. de conſecratione hæc habet. *Forma conſecrationis Eucbariſtiæ eſt duplex.* Una panis, *& eſt hæc:* HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Ubi

Ubi omnia ſunt de eſſentiâ, præter τὸ Enim, *cujus omiſſio eſſet veniale.* Altera vini, *& eſt hæc:* HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, novi & æterni Teſtamenti, *myſterium fidei qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Ubi, etſi verior & communior ſit ſententia *S. Bonaventuræ*, *Suarii*, *Bellarmini* & aliorum contra *S. Thomam* & *Thomiſtas:* quod eſſentialia ſint tantùm hæc: *Hic eſt calix* Sanguinis mei, (*vel* hic eſt Sanguis meus) *aut eis æquivalentia, graviter tamen peccaret, qui aliqua ex his omitteret, vel mutaret.* Colonienſes in ſuo Antididagmate ſerio & multis contendunt: *vehementer inſanire, qui exiſtimant* panem & vinum *conſecrari* in corpus & ſanguinem Chriſti, *per verba inſtitutionis, ſi non adhibeantur etiam* verba & preces *Canonis.* Vid. B. *Chemnit.* part. II. Exam. Conc. Trid. p. 119. D. *Elias Vejel* diſſert. Hiſtorico Theol. de Eccleſiâ Græcanicâ hodiernâ p. 46. ita loquitur: *Græci vim Tranſſubſtantiandi* orationibus magis & illapſui Spiritus S. *quàm* verbis & Syllabis *conſecratoriis tribuunt.* Vir ſingularis eruditionis & modeſtiæ *Georgius Caſſander* in *Conſult.* ad art. *Aug. Conf.* XXIV. hæc obſervavit. *Unâ in re inter* Græcos & Latinos *diſcrimen invenio, quòd* Græci conſecrationem Symbolorum *invocationi*; *Latini* Dominicorum verborum recitationi *tribuere videantur.* Sed ſine dubio *Caſſander* per verba inſtitutionis intelligit tantùm illa verba: HOC ENIM EST CORPUS MEUM: HIC EST ENIM CALIX

SANGUINIS MEI; *non autem* integra verba inſtitutionis *cœnæ Dominicæ, quo poſteriori ſenſu ſine dubio Autor noſter* Conſecrationem recitatione verborum Inſtitutionis Chriſti fieri, *ſcribit.* Si Garſiam *Loaiſam* conſulimus Tom. V. Concil. in notis ad Concil. IV. Tolet. p. 1731. quid ad conſecrationem requiratur? ex *Hieronymi* l. 3. adverſus *Pelagianos* probat: *Chriſtum docuiſſe Apoſtolos ſuos, ut quotidie in illius* ſacrificio *credentes audeant dicere:* PATER NOSTER. *Poſteà Gregorium M.* adducit lib. 7. Ep. 63. ita ſcribentem: *Mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo* ORATIONEM DOMINICAM *oblationis hoſtiam conſecrarent.* Cum his facere vult *Tertull.* lib. de. Oratione c. 9. *Ambroſium* de Sacramentis cap. 4. *Auguſtinum* Oratione 28. de verbis Domini. Add. Chemnit. part. II. Exam. p. 120.

(c) Sacrificium ſive θυσία in N. T. nobis tantum eſt unicum, illud nempè quod Chriſtus in arâ crucis patri ſuo cœleſti ſemel obtulit, idque perfectiſſimum eſt, ut vel novâ oblatione, vel prioris iteratione opus non ſit, teſte *Epiſtolâ ad Ebræos*, c. VII. v. 27. X. 14. Si vero à propriâ & ſtrictâ Sacrificii ratione deflectimus, & ad *improprias & latas, ab aliquâ analogiâ & convenienti alluſione, vel extrinſecâ denominatione derivatas acceptiones reſpicimus*, dubium nullum eſt, quin multæ tales in promtu ſint, quarum intuitu S. Euchariſtia (*ſive ut vocabulo* Eccleſiaſtico *utamur* Miſſa) SACRIFICIUM *appellari poſſit;* ſcribit Dn. D. *Calixtus* diſp. de Sacrif. Chriſti initerabili th. XI. *Offertur*

fertur enim corpus Domini in S. Euchariſtiâ *per preces, item per commemorationem & quandam* repræſentationem. *Memoratur videlicet & ſuo modo* repræſentatur immolatio *corporis Chriſti in cruce facta, per hoc*, quod panis frangitur & vinum funditur, *corpus quod in mortem traditum fuit, unà cum fracto pane manducatur, & Sanguis una cum effuſo vino bibitur.* Notum eſt illud Proſperi: *Dum* frangitur hoſtia, *dum* ſanguis de calice in ora fidelium funditur, *quid aliud, quàm* Dominici corporis in cruce immolatio, *ejusque* ſanguinis de latere effuſio, *deſignatur.* Ob has rationes in veteri Eccleſiâ Latinâ *Euchariſtiam* vocatam fuiſſe *ſacrificium*, certo certius eſt, fatente *Caſſandro* ad *Art.* XXIV. *Aug. Conf.* p. m. 161. 162.

Caſſandri verba hæc ſunt: *Fatendum eſt*, oblationis & ſacrificii *nomine*, veteres *nonnunquam intellexêre* totam hanc myſticam actionem, *quæ conſtat Symbolorum conſecrandorum conſecratione, mortis Domini commemoratione*, gratiarum actione, *& pro communi omnium ſalute* ſupplicatione *etiam ſacramentorum diſtributione & participatione;* hæc certè omnia Græci his nominibus λειτεργίας, ἱερεργίας, θυσίας ἀναιμάκτης, λογικῆς λατρείας *ſignificare videntur. Manifeſtum eſt enim* Veterem illam Eccleſiam *ita ſemper ſenſiſſe*, Corpus & Sanguinem Chriſti ſemel in cruce oblata, ad ſalutem totius mundi victimam eſſe perpetuam, quæ ſemel oblata conſumi non poteſt, ſed efficax manet ad remiſſionem quotidianorum delictorum. *Non*

igitur hîc novum eſt ſacrificium; nam & eadem hîc eſt hoſtia quæ in cruce oblata fuit & Sacrificii illius in cruce peracti in myſterio commemoratio *& continuati in Cœlis Sacerdotii & Sacrificii* in imagine repræſentatio. *Itaque* veteres *in hoc myſtico ſacrificio non tàm peractæ ſemel in cruce oblationis*, cujus hic memoria celebratur, *quàm perpetui Sacerdotii & jugis ſacrificii, quod quotidie in cœlis ſempiternus Sacerdos offert, rationem habuerunt, cujus hîc* imago per ſolennes miniſtrorum preces *exprimitur. Quapropter hoc ſacrificium pro communi omnium ſalute fieri dicitur, ſed* incruentum, *& ut Tertullianus loquitur* purâ prece. Hodiernorum Græcorum mentem à noſtra ut & veteris Eccleſiæ non eſſe diverſam, per aliquot paginas deducit ex Nicolao Cabaſilâ, Simeone Theſſalonicenſi & aliis *Dn. D. Haberkorn.* in vindic. *Anti-Forero* à pag. 524. usque ad p. 533. quem conſulas peto. Lege etiam Chytræi Orationem p. 16. 17. adde etiam quæ ſuprà p. 100. ex Jeremiâ Patriarchâ adduxi & quæ apud eundem pag. 97. in actis leguntur.

(*d*) Audivimus ſuprà p. 20. Garſiam Loaiſam Archi-Diaconum Toletanum magnifica de ſuo officio loquentem. Sed Græcorum *Archidiaconi* fimbrias ſuas adeò dilatare non poterant. Probè notandum eſt, quod in templis, ſivè, ut loqui amant, in Eccleſiâ ratione ordinis reliquis Diaconis ſint ſuperiores: Extra templum verò, vel Eccleſiam, nullam in reliquos Diaconos habeant jurisdictionem. In Officio S. Liturgiæ ſunt

occupa-

occupatiſſimi, inter alias verò functiones, hæc eſt: *ut tempore Elevationis calicem Domini ſublevando, populo oſtendant.* Elevatio enim in Latinâ & Græcâ Eccleſiâ in uſu eſt, hoc tamen intercedit diſcriminis, *quod in Elevatione* apud Græcos, *ſacerdos populo vultum vertat*; apud Latinos, *tergum*: Sic enim de Elevatione *Edwin Santes* c. 42. libelli: Bericht vom Zuſtand der Religion p. 577. Bei Erhebung der Hoſtien wenden die Griechen das Angeſicht zu dem Volk / da in Gegentheil die Lateiniſchen Prieſter demſelbigen den Rucken kehren. Significat vero hæc elevatio, *juxta non nullos:* mentem eſſe elevandam. *Hinc in Eccleſiâ Latinâ proclamabatur:* SURSUM CORDA! *Juxtà alios;* Elevatio eſt invitatio ad dignè percipiendam Euchariſtiam. *Hinc illa vox:* SANCTA SANCTIS! *Caſaub.* Exerc. XVI. num. XXXV. Noſtro AUTORI, *Elevatio Euchariſtiæ, Elevationis Chriſti in cruce eſt ἀντίτυπον.* Adſtipulantur noſtro inter Græcos, Euchologium, *Germanus* Patriarcha Conſtantinopolitanus; inter Latinos, *Rabanus Maurus* & *Ivo Carnotenſis*. Adde *Fhelavium* ad cap. XXIII. Angeli in notis majoribus p. 459. *Calixtum* de *Sacrif. Chriſti* initerabili.

(e) Vocatur *Chryſoſtomo Euchariſtia ἡ τράπεζα ἡ φρικώδης*, menſa illa terribilis. *Alii Patres hoc Sacramentum φρικτὰ μυστήρια* tremenda myſteria *appellant. Cauſaub.* Exerc. XVI. 136. Fas eſt ergò ut percepturi hoc pavendum myſterium, cùm timore non ſolum accedant, verùm etiam cùm

hora communionis inſtat, quid faciendum ſit, ab Eccleſiæ miniſtris admoneantur. *Hinc laudabiliter uſurpant hæc verba:* CUM TIMORE DOMINI ET CUM FIDE ACCEDITE; *vel ut Anaſtaſius Sinaita* Orat. de Synaxi *loquitur:* στῆκετε μετὰ φόβȣ ἐν τῇ φοβερᾷ ὥρᾳ τῆς ἀναφορᾶς. State cum tremore, tremendâ illâ Elevationis horâ. Vid. *Calixt.* l. ſæp. cit. th. 81. 85. vel ut nonnulla Exemplaria Liturgiæ S. Chryſoſtomi habent: Cum timore Dei & fide & DILECTIONE accedite. Vid. *Liturgiam Chryſoſtomi* in Euchologio *Goaris* p. 107. Scripta autem ſunt hæc verba literis PEREGRINIS, quæ proximè ad *Muſcovitarum* Characteres accedunt. Græcos eſſe dicebat mihi Ruſſus *Albertus Zagurski*, quos tamen viri in literaturâ Græcâ exercitatiſſimi, ne quidem legere, multo minùs intelligere potuerunt. Eos tamen in tabellâ æneâ ſculptos, curioſo lectori exhiberi curavi, quam vide N. 1.

Interim præmiſſis brevibus à Sacerdote, quas tamen cum Sacerdote omnes communicaturi *(a)* proloqui debent, precatiunculis, ſinguli primò Clerici, tum Laici, Juvenes, Viri, deinde, ſi adſunt Moniales, denique virgines & fœminæ

minæ ad Sacerdotem *(b)* accedentes, ex calice (in quo particulatim panis jam (*c*) cum vino conjunctim ſacramentaliter præparatus) particulam parvam panis cum vino (*d*) *cocleari* (cochleari) parvo argenteo à ſacerdote ad(*e*) os, pro vere(*f*) corpore Chriſti porrectam, aſſumendo communicant.

(*a*) Semper fuit in Eccleſiâ tempore ſumendæ Euchariſtiæ ingens precum apparatus. *Tempore illo* (ſcribit Chryſoſtomus) *non ſolum homines clamorem horribilem reddunt*, *ſed* & Angeli *genua flectunt*, & Archangeli *orant*. Vid. D. *Hildebrand.* de precibus Vet. Chriſt. p. 79. Fiunt autem hæ preces in ſacris Græcorum, non linguâ peregrinâ, ſed Græcâ, ipſis vernacula, ut populus etiam acclamare poſſit, Amen! Ad quæ verba Apoſtoli Græcos reſpicere, non negat Leo *Allatius* ap. D. *Haberkorn* in vindicato *Anti-Forero* p. 534. Non poſſum non, quin hîc laudabilem conſuetudinem Græcorum, ex *Chriſtoph. Angelo*

Angelo (p. 34. Conf.) interſeram, quam in deprecatione & condonatione fraternâ obſervant, antequàm de ſacrâ menſâ participant. *Facie ad ortum converſâ, genibus in terram proſtrati, Deum adorant; deinde ad occaſum ſe convertunt, ac flexis genibus adſtantes homines compellant:* CONDONATE NOBIS, ORAMUS FRATRES, ET FACTIS ET VERBIS PECCAVIMUS! *Ad quæ præſentes homines hunc in modum reſpondent:* DEUS CONDONABIT NOBIS, O FRATRES! *Poſt ad Meridionales Eccleſiæ partes ſe vertunt, eosdem, iisdem quibus anteà, curvatis genibus, alloquentes verbis:* REMITTITE! *Illi verò ut modo commemorati, ſimiliter remittentes, ſimilia reſpondent, quemadmodum & Occidentales. Eundem in modum ad Borealem plagam converſi, eandem quam à cæteris* veniam *& orant & exorant.*

(*b*) Græcæ Eccleſiæ ſeparatum quendam locum habent, ubi ſacerdotes ſacrificant, & in hunc nemini patet introitus, niſi ſolis Hierodiaconis vel Subdiaconis. Quando autem ſacerdos ſacram cœnam, communicare volentibus, diſtribuit, intrà portam conſiſtit: Illi verò qui ejusdem participandæ cauſa ad portam accedunt, erecto corpore ante eam conſiſtunt. Sacerdos autem, Sancta manibus geſtans ſuis, progreditur, inque oſtii hujus limine conſiſtens, unicuique illorum Corpus & Sanguinem Domini, *uno eodemque actu*, hoc eſt panem & vinum mixtum, (*vel panem vino intinctum*) *diſtribuit, dicens:* COMMUNICAT SERVUS HIC DEI, IN NOMINE PA-

TRIS

TRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI IN REMISSIONEM PECCATORUM. AMEN! *Angelus* p. 38. 39. & Joh. Morinus de Sacris Ordin. part. II. p. 229. *Metrophanes* etiam loci, quem ἱεϱατεῖον vocant, in quo SACRUM ALTARE, mentionem facit. Qui à reliquo templo ſeparatus eſt. *Etenim ſecernunt ipſum cancelli benè elaborati & artificioſè varièque diſtincti, quibus cancellis velamentum obtenditur, quod myſterio in ſacrâ menſâ repoſito, per cancellos diducitur, ut ne populus* Sacerdotes ſacrificantes *videre queat;* dato autem Symbolo Sacro, planè reducitur, ut populus per cancellos omnia intueri poſſit, tum Sacerdotes, tum Sacra ipſa. *Quâ re illud ſignificatur; nos* ſi piè & orthodoxè credamus, fidem verò non ingenuè profiteamur, *revelatione rerum Divinarum indignos cenſeri:* quod ſi vero orthodoxè & liberè fidem prædicemus, *tunc Deum myſteria ſua nobis revelare.* c. IX. Conf. p. 103. Hoc verò rurſus conforme eſt Eccleſiæ Veterum Chriſtianorum, *Clerici enim in Choro* & intrà cancellos *orabant & communicabant* per miniſterium *Epiſcopi*, vel *Sacerdotis*, quod Laicis conceſſum non erat, illi *enim extra cancellos orabant & communicabant* per miniſterium *Archidiaconi;* ut conſtat ex Canone XVII. Conc. Tolet. IV. *Sacerdotes & Levitæ* ante Altare communicent; in choro *clerus;* extra chorum *populus.* Vid. *Severinus Binius* in notis ad Concilium ILERDENSE Tom. IV. Conc. p. 1617. Hinc LAICA COMMUNIO nomen ſortita eſt, quæ *non erat ſub unâ tantùm ſpe-*

cie, ut nonnulli volunt Pontificii; ſed *privabantur* illi *Clerici*, ob grande aliquod admiſſum crimen, *communione*, *quæ fiebat in choro*, & *remittebantur* ad communionem Laicorum, quæ fiebat *extra Chorum*, ut probat B. *Chemnitius* part. II. Exam. Concil. Trident. pag. 235. & conſentit *Severinus* Binius cum Garſiâ *Loaiſâ* loco in hoc Paragrapho citato, & Goarus in notis ad Miſſam Chryſoſtomi p. 151.

(*c*) Infantibus etiam à Græcis *Sacramentum Euchariſtiæ dari*, extra controverſiam eſt. Vid. ſaltem *Metrophanes*. p. 98. 99. In eâ opinione multi fuerunt etiam ex *Patribus*, imò ipſe Pontifex *Innocentius I.* vide Garſiam *Loaiſam* ad Concil. Tolet. XI. T. 6. Conc. p. 559. Abrahamus *Ecchellenſis* in notis ad *Canones Arabicos* Conc. Nicæni, Tom. II. Conc. pag. 409. modum nobis communicandi infantes apud Orientales monſtrat: *Sacerdos infantem communicaturus*, digitum intingit ſanguine, & *in os illius* ſugendum *immittit*. Dedit hæc communio infantum & infirmorum anſam, ut Seculo IV. ob metum effuſionis panis Euchariſticus intingeretur. Vix erat hæc conſuetudo introducta, cum adverſarium invenit Pontificem JULIUM I. qui in decretis ſuis, decreto VII. de hâc intinctione hoc fert judicium: Tom. II. Conc. p. 526. *Illud verò, quod pro complemento communionis* intinctam tradunt Euchariſtiam *populis*, *nec hoc probatum ex Evangelio teſtimonium recipit*, *ubi Apoſtolis* corpus ſuum & ſanguinem ſuum *commendavit*. *Seorſim enim* panis,

nis, *ſeorſim* calicis commendatio *memoratur. Nam* intinctum panem *aliis non præbuiſſe legimus*, *excepto illo* tantum diſcipulo, *quem* intinctâ buccellâ *Magiſtri proditorem oſtenderet*. Propter infirmos tamen ſequentibus temporibus *intinctio panis*, in Concilio TURONENSI, *conceſſa eſt*. Verba Concilii ex Rheginonis Abbatis Prumienſis lib. I. de Diſcip. Eccl. c. LXX. appono. *Omnis* Presbyter (*jubet Concilium*) *habeat pixidem, aut vas, tanto Sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur, ad viaticum decedentibus à ſeculo, quæ Sancta oblatio* INTINCTA debet *eſſe* in Sanguine Chriſti, *ut veraciter presbyter poſſit dicere infirmo :* CORPUS ET SANGUIS DOMINI PROFICIAT TIBI AD VITAM ÆTERNAM. AMEN! *Quod* TURONENSE *Concilium* propter infirmos *conceſſerat*, *Jvonis Carnotenſis* temporibus in Eccleſiam publicè *fuit introductum*, ut Laicis etiam, *ad evitandum periculum effuſionis* intinctus panis porrigeretur, *quem tamen morem ſubſecutum* Concilium CLAROMONTANUM Can. XXVIII. abrogavit, dum jubet: *Ne quis de altari participet, niſi corpus* SEPARATIM & *Sanguinem* ſimiliter *ſumat*, niſi per *neceſſitatem* & per *cautelam*. Vid. *Petrus de Marca* Archiepiſcopus Pariſienſis in notis ad can. XXVIII. Conc. *Claromontani* Tom. X. Conc. p. 581. Permanſit tamen mos intingendi panem Euchariſticum apud infirmos, donec *communio ſub unâ ſpecie* in Eccleſiam introducta eſt. Quando apud Græcos uſus intincti panis

nis

nis Euchariſtici inceperit, non conſtat. *Petrus de Marcâ* Archi Epiſcopus Pariſienſis vult: *Damaſceni temporibus porrectum eſſe populo calicem, qui reſiduum in labris humorem manibus ſuis attingentes, illo* frontem, oculos & *reliqua ſenſuum organa ſanctificabant.* Et ut huic ſententiæ fidem faciat & ſimul probet: *Intinctionem tunc non fuiſſe uſitatam:* adducit locum ex lib. IV. c. XIV. *Job. Damaſceni* de Orthodoxâ fide. Verùm quod pace tanti Viri dico: in loco *Damaſceni* nihil horum ſit mentio. Hæc enim ſunt *Damaſceni verba*: Προσέλθωμεν αὐτῷ πόθῳ διακαεῖ σταυροειδῶς τὰς παλάμας τυπώσαντες, τοῦ ἐσταυρωμένου τὸ σῶμα ὑποδεξώμεθα, καὶ ἐπιθέντες ὀφθαλμοὺς καὶ χείλη, καὶ μέτωπα. Accedamus ei deſiderio ardenti. Manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus ſuſcipiamus, & apponentes oculos, labia, frontem. *Vides B. L.* nullam hîc utriusq; ſpeciei, *nullam* reſidui humoris *fieri mentionem* & *jam* Damaſceni temporibus, modum intingendi panem, *in uſu eſſe POTUISSE:* Locus certè citatus intinctioni nō adverſatur. Qui poſt JULIUM I. & cum Concilio CLAROMONTANO hunc ritum in Græcis taxârunt, fuerunt *Autor Micrologi*, & *Humbertus Sylvæ Candidæ* Epiſcopus in diſputatione cum *Abbate Nicetâ Pectorato* Conſtantinopoli habitâ, ſi hiſtoriæ *Petri de Marcâ* fides habenda eſt.

(*d*) Hujus communionis, ſive modi communicandi meminit etiam *Caſſander* in Liturgiâ. *Communicant* Muſcobitæ (ait) ſub UTRAQUE ſpecie *miſcentes* panem vino, *ſeu corpus ſanguine,*

ſumit-

ſumit cochleari *ſacerdos ex calice particulam, porrigitq́; communicanti.* Junge Caſſandro Sigismundum *Baronem ab Herberſtein* p. 45. ſuæ Muſcoviæ. Olear. p. 184. Itiner. Perſici. Goaris notas in Miſſam Chryſoſtomi p. 152. & *Joh. Fabricii* Orationem Inaug. p. 6. qui duo poſteriores ære expreſſum ejusmodi cochlear nobis ſiſtunt, cujus manubrium tenue & oblongum cruciculâ in extremitate ornatum eſt.

(*e*) In *manus* primo Laicis *corpus Domini tradebatur.* Hinc apud *Euſebium:* χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνειν. Manus porrigere ad ſuſceptionem ſanctæ alimoniæ. *Caſaub.* Exercitat. XVI. num. L. p. 412. *Binius* T. II. Conc. p. 1239. ad Conc. Tolet. I. *His verbis mos antiquus* ſuſcipiendi Sanctam Euchariſtiam *exprimitur.* Utramque enim manum porrigebant & cavo dexteræ ſuppoſitâ ſiniſtrâ, panem ſuſcipiebant. *Vel,* ut *Damaſcenus* de ſuo tempore loquutus eſt: σταυροειδῶς τὰς παλάμας τυπώσαντες τοῦ ἐσταυρωμένου τὸ σῶμα ὑποδεξώμεθα. *Crucis in modum* manus formantes, *crucifixi corpus ſuſcipimus. Damaſc.* lib. IV. de Orthodox. fide c. XIV. adde Goaris notas in Miſſam Chryſoſtomi pag. 150. Anno 590. in *Concilio* quodam in *Galliâ* celebrato ordinatum fuit: *ne mulieres nudis manibus* Euchariſtiam *tractarent, ſed adhibito* linteolo nitido *eam acciperent:* linteolum illud peculiari vocabulo appellârunt ſuum DOMINICUM. Calviſius op. Chronolog. p. 478. Poſteà *ſuperſtitio conſuetudinem invexit,* conficiendi *ex auro*, vel aliâ mate-

H riâ

riâ precioſâ *quædam* δοχεῖα, vaſcula, *quibus* pro manu *utebantur. Sed ſublata & damnata eſt* hæc conſuetudo *can.* 101. *Conc. VI. Oecumenici*, ſive in TRULLO, cujus hæc ſunt verba: *Si quis immaculati corporis in Synaxis tempore eſſe particeps voluerit & offerre ſe ad communionem, manus* crucis formam figurans *ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim qui* ex auro, *vel ex* aliâ materiâ quâdam, *loco manus* δοχεῖα *receptacula efficiunt ad Divini muneris ſuſceptionem, & per ipſa immaculatam communionem recipiunt, minimè admittimus, ut qui* inanimatam ſubjectamque materiam, Dei imagini *præferant.* Tom. VI. Conc. p. 1185. Obtinuit tamen poſt illud decretum, etiam in nonnullis Græcæ Eccleſiæ locis, *ut Sacramentum Laicis non in manus traderetur*, quod præciſè canon allegatus jubebat, *ſed in os insereretur.* Hoc tempore non in nonnullis ſolummodò Eccleſiis, ſed in omnibus per totam Græciam, *nulli Laico* corpus Chriſti *in manus concreditur, ſed,* cochleari è calice *deſumtum, in os* cum eodem cochleari *ingeritur.* Vid. *Leo Allatius ap.* Haberk. in Vind. AntiForero p. 468. *Olearius* tamen ſcribit: ſie laſſen es mit einem kleinen Löffel von den Communicanten ſelbſt nehmen. Itin. Perſ. p. 184.

(*f*) Veram ergo & realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtiâ ſtatuunt moderni Græci, utut *de modo præſentiæ* ignorantiam ſuam confiteantur. *Sit nobis teſtis Metrophanes Critopulus*, qui cap. IX. Conf. p. 100. hæc habet: *Eſt quippe panis benedictus* reverà corpus Chriſti, & *quod*

in calice eſt, indubitatè Chriſti ſanguis. *Modus autem iſtius* mutationis *incognitus nobis eſt & ineffabilis*. Dn. D. *Vejel* tamen probat: *Græcos transſubſtantiationem credere*. Diſſert. *Hiſtorico. Theol.* p. 46. & in *Defens*. p. 122. & ſeq. adde *Olearium* p. 185. Itin. Perſ.

Poſt hæc alium ſacerdotem accedentes ab eo particulam panis (*a*) (*in memoriam* S. S. Apoſtolorum, *qui paucis panibus juſſu* Salvatoris *multas turbas hominum ſaturârunt* (conſecrati) *qui panis* (*b*) Dora *appellatur*) ad manus accipiendo comedunt, & modicum vini ex Scypho argenteo hauriunt, & panes parvos orbiculares, (*qui pro uno nummo duo emuntur*) ab eodem ſacerdote (*quos ante* ſacrum *quilibet pro ſuo voto ad benedictionem in Eccleſiam* (*c*) *attulit*) accipiunt, & ſecum,

 præſer-

præſertim Laici, (d) domum portantes comedunt.

(a) Paulo aliter de hoc ritu Magnif. *Dn. FURERUS fel. rec.* in ſeiner Reisbeſchreibung deß gelobten Landes p. 228. 229. Dieweil wir nun als Fremde darkommen (in das Cloſter S. Saba) hielten ſie eine hohe Meß / nach Griechiſchen Gebrauch/mit viel Geſang/ Hymnis und andern Ceremonien/ da dann auf die letzt / (wie ſie pflegen das gebenedeite Brod zu eſſen) ein jedlicher hinan zu den Prieſter gieng / und von denen Stücklein Brod / welche derſelbige alle in einer Schüſſel bei einander ligen hatte/eines nahm. Nach dieſen ſetzte ſich ein jeder in ſeinen Stuhl. Alsdann gieng einer herum mit einem Korb/ darinnen viel groſſer Stuck Brods lagen / gab jedem eines: dann folget ein anderer mit einer ſilbern Schalen voll Weins / und gab jedwedern ein Schalen Wein/ - - auf ſolche Weis / ſagten ſie/ wäre vor Alters/ zu Zeiten der Apoſtel / das Heilige Abendmal gehalten worden.

(b) In *Liturgiis* antiquis, & apud *Patres*, oblationes panis & vini ad ſacram communionem in Eccleſiâ veteri afferri ſolitæ, vocantur τὰ δῶρα *hoc eſt dona*, vel τὰ ἅγια δῶρα *id eſt ſacra dona.* Erat moris, ut ex his oblationibus ſumeretur ad conſecrationem in uſum Euchariſtiæ quantum ſufficeret. Propterea in Græcorum monumentis τὰ ἅγια δῶρα, vel τὰ προκείμενα δῶρα, *hoc eſt ſan-*

cta, vel propoſita dona, vel ſimpliciter τὰ δῶρα, vel τὰ ἅγια, *pro ipſo corpore Chriſti myſtico accipiuntur*, vel propter jam factam conſecrationem, vel futuram, ſunt verba *Caſauboni* Exerc. XVI. p. 413. Hinc juxta eundem lib. cit. p. 378. *duæ hodiè* apud Græcos *in celebratione Euchariſtiæ ſunt* menſæ; *Unam vocant* πρόθεσιν, *quaſi dicas* menſam propoſitionis, *in quâ ponuntur panis & vinum* antè conſecrationem, ſive τὰ δῶρα, *quibus in primâ menſâ poſitis tribuunt venerationem. Deinde transferuntur, quæ fuerunt ibi appoſita in alteram menſam*, ubi fit conſecratio, *& poſt* conſecrationem *adoratio* λατρείας, *hoc eſt, cultus Divini, ſeu quo ſolus Deus ſolet adorari. Eamq́; menſam vocant* & altare, *&* τὸ ἅγιον βῆμα, *id eſt* ſacrum Suggeſtum. Adde Morinum de Sacris Ordinationibus part. II. p. 228.

(c) Mos *offerendi panem & vinum*, jam *Irenæi* tempore, Seculo II. viguit, *qui Chriſtum ipſum, ſuo facto, Eccleſiæ ſuæ, oblationem panis & vini commendâſſe, ſcribit*. Seculo VI. MATISCONENSIS Synodus II. has *oblationes confirmavit* & fieri mandavit. Eo autem fine offerebat hæc Symbola Antiquitas, *ut teſtatum faceret*: ſe omnia ſua, animam ac corpus *Deo conſecrâſſe*. Prius autem quam per Diaconum, *cui id ex officio incumbebat*, ad altare, conſecrationis gratiâ, deferrentur hæ oblationes, in *Gazophylacium* portabantur, *donec inquiſitio facta fuiſſet*: ſint ne hujusmodi oblationes tales, quæ Domino dignè offerri poſſent? *quia non niſi* Catholicorum *& bonæ vitæ* fidelium oblationes *recipiebantur*. Poſtmodum

farinam populus obtulit, & labentibus ſeculis, *denarium*; unde hodienùm *nummulus offertorius*. Audiamus quæ Doctiſſimus Hiſpanus *Ferdinandus de Mendoza*, in notis ad Concil. Illiberit. *T. I. Conc. p. 1196. 1197.* ex vetuſto Autore de his oblationibus nobis reliquit: *Fertur, quod olim ſacrdotes de ſingulis domibus, vel familiis*, farinam *acceperint*, (quod adhuc *Græci* ſervant) *deinde Dominicum panem fecerint, quem pro populo offerebant & hunc conſecratum, eis diſtribuebant. Nam ſinguli offerentium, Miſſæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur:* Et omnium circumſtantium, qui tibi hoc ſacrificium laudis offerunt. *Poſtquam Eccleſia numero quidem augebatur, ſanctitate minuebatur, propter carnales ſtatutũ eſt*, ut qui poſſent, ſingulis Dominicis, vel in ſummis feſtivitatibus, vel ter in anno, communicarent, ne ante confeſſionem, vel pœnitentiam pro aliquo crimine, judicium ſumerent. *Et quia populo non communicante non erat neceſſe panem tam magnum fieri, ſtatutum eſt, eum*, in modum DENARII formare, & *ut populus pro oblatione* farinæ denarium offerret, *pro quibus Dominum traditum recognoſceret.* Qui tamen denarii in uſum pauperum, *qui membra Chriſti ſunt*, cedebant, vel in aliquid, quod ad hoc ſacrificium pertinet, commutabantur. *Oblationis tamen priſtinæ* veſtigia reſtant adhuc *in Galliâ*, ubi in *Miſſis*, quas *Parochiales* vocant, grandis panis, quem ex ordine Patresfamilias Parochiani *ſuppeditant, offertur.*

(*d*) Ex

(*d*) Ex hiſce oblationibus, particulas quasdam domum ſecum portabant veteres Chriſtiani, quæ particulæ EULOGIÆ vocantur. Fruſta erant panis benedicti quidem, ſed non in uſum Euchariſtiæ, quæ & *mittebantur ad abſentes*, & dabantur etiam iis, qui *communicare non erant parati*, imò *Catechumenis*, qui jus communicandi nullum habebant. *Caſaub.* Exerc. XVI. p. 374. Vocantur *hæ Eulogiæ* in Latinâ Eccleſiâ FERMENTUM, ob differentiam panis Euchariſtici; SACRAMENTUM; ob ſacræ rei ſignum, nempe Catholicæ unionis; BENEDICTIO; quia ab Epiſcopo conſecrabâtur; *OBLATIO*; quia à populo, vel à presbyteris offerebantur. *Baronius* Tom. III. Annalium ad A. 313. n. 49. & ſeq. *Duplicis* autem *generis* erant hæ *Eulogiæ*, publicæ *aliæ*, *aliæ* privatæ. Publicæ *ad id conſecrabantur* & diſtribuebantur, *ut eſſent* Catholicæ communionis *ſigna & indicia.* Privatæ *nominabantur*, quas amici ultrò citroque dare atque accipere conſueverant. *Tom. I. Conc.* p. 1524. *ità de* S. Paulino, Nolano Epiſcopo *legimus* apud *Binium:* quòd Eulogias ad *S. Auguſtinum* miſerit, & à *S. Auguſtino*, in ſignum amoris reciproci, acceperit. *T. IX. Conc.* p. 470. adde *Goari* notas in miſſam Chryſoſtomi. p. 154. 155. Vid. *Caroli Du Freſne* T. II. Gloſſ. p. 290. Ex concilio autem NANNETENSI hanc formulam Benedictionis *Eulogiarum* Rhegino *Abbas Prumienſis* lib. de diſcip. Eccl. c. 329. nobis exhibet. Domine Sancte pater omnipotens, æterne Deus, *benedicere digneris hunc* panem, *tuâ*

ſanctâ & ſpirituali benedictione, ut ſit omnibus ſalus *mentis ac corporis*, atque *contrà omnes morbos* & *univerſas inimicorum inſidias tutamentum*, *per Dominum noſtrum* Jeſum Chriſtum filium tuum, *panem vitæ, qui de cœlo deſcēdit, ut vitam & ſalutem mundo det*, & *tecum vivit & regnat.* Apud Græcos formula ejusmodi benenedicendi Evlogias non reperitur. Vid. Goaris Euchologium p. 154. 155. Viget autem hæc conſuetudo, *Eulogias* domum deportandi adhuc apud *Gallos*. Sic enim Edwin Santes libello Bericht von der Religion: Die Franzöſiſche Kirche ſtimmet mit der Griechiſchen überein / auch mit dem geſegneten Brod / welches alle Sonntag ausgetheilet wird denen jenigen / die nicht zum Tiſch deß HErꝛn gehen.

In actu vero communionis tempore communicantium hæc cantilena: (*a*) Corpus Chriſti ſumite, & fontem immortalitatis guſtate, Alleluja; in utroque latere Eccleſiæ (*b*) per choros alternatim, usque ad abſolutionem etiam communionis cantatur.

(*a*) Occurrunt in hoc Paragrapho verba ſcripta *literis peregrinis*, quæ vide N. II. Latinè, ut *EU-*

STRATIUS noſter ea expoſuit,ſic ſonant: CORPUS CHRISTI SUMITE, ET FONTEM IMMORTALITATIS GUSTATE, ALLELUJA. Rutheni in ſuâ linguâ hæc verba ita pronúciant: *Telo Kryſtovó przimite i ſtocznikà bes mertucho u kuſſile:* ut me docuit ex *Daniele Printz* Nobili Sileſio, & ex *Laſizio*, Dn. *Fhelàvius*, in annot. ad cap. XXIII. Chriſtophori *Angeli* pag. 465. Alius cantionis mentionem facit *Metrophanes* c. XXIII. p. 161. Conf. ubi de ſacerdote, cujusvis loci, ſummo, thronum conſcendente hæc ſcribit: *Eſt verò hic* (thronus) *cathedra è marmoribus ponè menſam, ſacram conſtructa, in quam ordinarius ſummus ſacerdos, quando cœna Dominica adminiſtratur, adſcendere ſolet, dexterâ tenens* tres candelas accenſas, *quarũ imæ partes* formâ triangulari *conſertæ ſunt, hymnis item celebrans* ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem, *& canens, unâ cum iis, qui apud ipſum ſunt, hunc hymnum:* SANCTE DEUS! SANCTE POTENS! SANCTE IMMORTALIS! MISERERE NOSTRI! Quatuor aliàs hymni ſunt, qui in Liturgiâ canuntur. I. eſt ἀγγελικὸς ὕμνος, *hymnus angelicus*, & eſt ille, quem nato Domino angeli cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo.* Secundus eſt *Triſagius* & eſt hic: *Sancte Deus! Sancte potens! Sancte immortalis! miſerere noſtri.* Tertius χερουβικὸς, *Cherubimus* dicitur, quo Cherubinorum voces Chriſtum laudantium æmulari ſtudet Eccleſia, qui Juſtinum authorem habere creditur, & his concipitur verbis: *Qui Cherubim myſticè repræſentamus, & vivificanti*

Trinitati ter-ſanctum hymnum canimus, omnem ſecularem deponemus ſolicitudinem, tanquam regem omnium ſuſcepturi, angelicis inviſibiliter ſtipatum agminibus. Alleluja. Quartus eſt ἐπινίκιος ſive *victoriæ*, quem Chorus canit his verbis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabbaoth, plenum eſt cœlum & terra gloriâ tuâ! Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini! Oſanna in altisſimis.* Vid. Goäris Euchologium p. 76. 106. 136.

(*b*) De Origine conſuetudinis, *alternatim per* CHOROS PSALLENDI, non concordant autores. Philo de vita Contempl. de Eſſæis ſcribit, *quod Deo laudes* alternatim canere *ſint ſoliti, & hos* Iſraëlitas, Moſen & Miriam, *mare Suph ſicco pede transeuntes, fuiſſe imitatos.* Socrates hiſt. lib. 6. c. 8. S. Ignatio Martyri tribuit, *quod viderit viſionem angelorum, hymnis alternâ vice Sanctam Trinitatem collaudantium.* Ad quæ Baronius. T. I. Annal. ad A. 60. n. 24. *Sed altior atque certior ejus rei fides habetur, cum de* Seraphim *ſtantibus ſupra thronum, atque clamantibus, & alternis vicibus canentibus, ſublimis facta eſt illa manifeſtatio Eſaiæ.* Alii tradunt, *ipſis Chriſtianorum primitiis Alexandriæ commorantibus,* hunc *modum cantandi ab Apoſtolis fuiſſe commendatum. Fhelavius* in annot. ad c. IX. Ang. p. 145. 146. Conradus Rittershuſius lib. III. ſacr. Lect. c. 21. p. 211. ex Svidâ voce χορὸς refert: quod mos ille canendi, in choro bifariam diviſo, authorem habeat *Flavianum, Epiſcopum quendam Antiochenum*, qui tempore *Conſtantis, Conſtantini M.* filii, floruit, *ut adeò,*

non ſine ſingulari Dei conſilio, mos hic in ea urbe primum receptus fuerit, *in qua in Chriſtum credentes* Chriſtiani *primùm nuncupati ſunt.* Vid. *Pamelius* in notis ad Cypriani lib. de Orat. Dom. pag. 161. Goar in notis ad Eucholog. p. 28. Baſilii tempore hunc modum cantandi in Eccleſiâ Græcâ fuiſſe, monſtrat ex ejus Epiſt. 69. contra hæreticos *Severinus Binius*, in notis ad vitam Damaſi T. II. Conc. p. *x*62. & *Baronius* T. I. Annalium ad A. 60. n. 27. *Calviſius* Op. Chronol. p. 412. ex Sigeberto Gemblacenſi refert: *Ambroſium hunc ritum primùm à Græcis ad Latinos tranſtuliſſe.*

Tandem poſt communionem precibus à Sacerdote, vel à Clerico aliquo *recetatis* (recitatis) & (*a*) abſolutis, cum benedictione omnes domum abeunt.

(*a*) Vocantur preces Veterum in Euchariſtia fieri ſolitæ δεήσεις, προσευχαὶ, ἐντεύξεις, εὐχαριστίαι. Δεήσεις preces publicæ ſunt, *quæ fiunt coram Symbolis* ſacris in Altari expoſitis, ſed *nondum benedictis.* Προσευχαὶ ſunt preces, *quibus id, quod in altari eſt*, à vulgari uſu eximitur, *benedicitur & conſecratur.* Ἐντεύξεις preces ſunt, *quibus in horrendis myſteriis* ſacerdos populo *adſtanti benedicit, eumque Deo commendat.* Tandem εὐχαριστία eſt,

eſt, *cum quâ ſacra* Synaxis *ſolvitur. Hildeb.* de precibus vet. Chriſt. lib. II. c. 23. p. 70. Hæc precatio vero in *veteri* Eccleſiâ ἐυχὴ ἀπολυτικὴ vocabatur, deſumtâ voce è *Simeonis* cantico. Νῦν ἀπολύεις τὸν δȣ̃λον σȣ δέσποτα: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, Luc. II. à quâ dimiſſione vocabulum MISSÆ ſuam traxit originem. Caſaub. Exerc. 16. n. 58. p. 419. Si ſcire deſideras, quid amplius fiat peractis ſacris, *Metrophanes Critopulus* te docebit Conf. c. IX. p. 191. *Participes facti S. Euchariſtiæ* mutuo ſe oſculo *ſalutant, altero quidem dicente:* CHRISTUS EST IN MEDIO NOSTRUM! *Altero verò reſpondente :* ET EST ET ERIT! *Feſto autem* Paſchatos, *usque ad aſcenſionem, inter ſalutandum hic quidem dicit:* CHRISTUS SURREXIT! *Ille autem,* REVERA SURREXIT. *Poſteà vero per totum annum priora repetunt.*

Baptiſmum longè pulcherrimis ceremoniis exornatum habent. Adhibitis verò viro & fæmina ſuſceptoribus, (*a*) præmiſſâ conſecratione (*b*) in vaſe ad hoc opus (*c*) ſtudio confecto, aquæ, trina (*d*) immerſione infans (*e*) abluitur

tur à ſacerdote, hæc verba proferente: (*f*) Baptizetur ſervus Chriſti N. in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen!

(*a*) Metrophanes *Critopulus* Conf. c. IIX. p. 87. de ſuſceptoribus hæc narrat. *Poſt tertiam merſionem reponit presbyter baptizatum manibus ſuſceptoris.* Uno enim SUSCEPTORE utimur. *Sed variant ſine dubio, ut in Occidente,* ſic in Oriente, *pro cujusvis particularis Eccleſiæ conſuetudine, unum, aut plures ad ſacrum hunc actum* exorare ſuſceptores. *Fhelavius* enim probat, *aliis in locis etiam, plures adhiberi*, vide notas ad *Angelum.* c. XXIV. p. 153. & ſeq. Teſte *Martino Polono* & *Platinâ*, Higinus Pontifex Romanus, *qui Seculo II. Romanæ ſedi præfuit*, ſanxit; *ut* unus Patrinus & una Patrina *ſacro Baptismati* intereſſent.

(*b*) In Eccleſiâ Romanâ in vigiliis Paſchatos & Pentecoſtes FONS SACER conſecratur, atque ex illâ conſecratâ aquâ per integrum annum baptizant. Apud Græcos verò aqua baptismatis conſecratur, quoties actum baptismi celebrant. *Olearius* Itin. *Perſici.* p. 181. 182. Die Gevattern geben dem Pfaffen neun Wachsliechter/ die er anzündet/ und an den Zuber/ ſo voll Waſſer mitten in der Kirchen ſtehet/ Creuzweis klebet. Darauf beraucher er mit Weirauch und Myrrhen den Zuber und Gevattern/ und conſe-

crirt das Waſſer mit vielen Ceremonien. Adde Sigiſmundum *Baronem ab Herberſtein* p. 42. ſuæ *Muſcoviæ*. Das Tauffwaſſer wird zu einem jeden Kind inſonderheit geſegnet / welches auch gleich nach der Tauff für die Kirchenthür geſchüttet wird.

(c) De vaſis, in quibus aqua Baptiſmatis præparatur, hæc habet Chriſtoph. Angelus p. 40. 41. *Servant Græci in Eccleſiis ſuis* vaſa quædam ampla, *quæ* Baptiſteria *appellant*, hoc eſt *tantæ capacitatis vaſa, ut infantem, quantus quantus eſt, iisdem poſſint immittere.* Quando igitur infans aliquis fonte Sacro tingendus eſt, conſanguinei primo omnium aquam, floribus odoriferis inſperſis, calefieri curant, inque prædictum vas infundunt. *Erant hæc* Baptiſteria *primum extrà templa*, in certis ædibus ſeorſim à templis, quæ ædes *Baptiſteria* appellabantur. Hinc in Concilio ALTISIODORENSI c. 14. *In BAPTISTERIIS mortui ſepeliri vetantur.* In his ædibus aliquando erant *Oratoria* & *altaria*. FLORENTIÆ è regione maximi templi eſt Eccleſia rotunda. S. *Joh. Baptiſtæ* Sacra, hanc BAPTISTERIUM appellant. Tota hæc eſt marmorea, habens januas quas æneæ valvæ operis egregii occludunt. In medio illius Eccleſiæ *Baptiſterium* è marmore lucidiſſimo poſitum, viſitur. *In quo Florentini omnes* Baptiſmi lavacrum *percipiunt*, neque alibi quiſquam, *præterquam in hoc* Baptiſterio, *ſalutaribus aquis tingitur.* Quæ quidem adnotare libuit tanquam *veteris moris* IN-

STITU-

STITUTUM, cum olim in civitatibus in ejuſmodi baptiſteriis Baptiſmus, conferretur. Scribit *Carolus du Freſne* part. I. Gloſſar. p. 468. *Poſtmodum in ipſis templis poſt fata Caroli M. locum invenerunt.*

(*d*) Ipſe Chriſtus in aquam *mergebatur*, quando eum Johannes baptizabat. *Immergendo* baptizati ſunt Apoſtoli. Eccleſia Orientalis & Occidentalis immerſionem per annos benè multos obſervârunt. Hinc *Diaconiſſæ* erant conſtitutæ, quæ fæminas baptizandas honeſtè nudabant. Poſtmodum in Occidente *tempore Gregorii I.* (*Si Pammelio, ad lib. Tertull. de Baptiſmo in notis p. 283. fides adhibenda eſt.*) *IMMERSIO* fieri deſiit, *ſuccedente loco immerſionis*, ASPERSIONE. Vid. B. D. *Calixt.* diſp. de Baptiſmo th. 140. 141. 142. *Orientales vero hodienùm* IMMERSIONEM *retinent.* Vid. *Metroph.* c. IX. Conf. *Angelus* p. 41. *Fbelavius* in notis p. 153. Accipe, lector benevole, quæ Tom. II. Conc. p. 409. *Abrahamus Ecchellenſis* Maronita in notis ad Canones Arabicos Concilii Nicæni ſuppeditat: *Baptiſmus fiebat trina immerſione* apud Orientales, *& adhuc etiam ejusmodi ritus pluribus in locis obſervatur.* Refert Olearius Ruſſos, *Germanos & alios Chriſtianos Occidentalis* Eccleſiæ, vocare, BE-SPRENGTE CHRISTEN; & pergit: Daher wann jemand von den ausländiſchen Christen ſich zu ihrer Religion begeben will / muß er ſich aufs neue tauffen laſſen; in der Perſianiſchen Reisbeſchreibung / p. 172. Goarus tamen

men p. 365. in notis ad Euchologium ſcribit: IN-FUSIONE nunc ſæpius uti Græcos, quas infuſiones tamen, IMMERSIONES vocare non dubitat Neophytus Rhodinus. Ter autem immerguntur baptizandi, quod, cum citato Ecchellenſi, confirmat *Metrophanes* cap. VII. Conf. p. 86. *Ter qui baptizant, eos qui baptizantur in aquam mergunt, in unaquâque immerſione acclamant unam divinam conſubſtantialis Trinitatis perſonam, ſic dicentes:* BAPTIZETUR SERVUS DEI N. IN NOMINE PATRIS, *(ecce eſt una merſio!)* ET FILII *(hæc eſt Secunda)* ET SPIRITUS S. AMEN! *(En tertiam merſionem!)* adde *Jeremiam Patriarcham* Reſp. I. ad Würtenb. c. II. p. 63. Hæc trina vero merſio jam *Tertulliani* ævo recepta erat: *Non ſemel*, ſed ter, *ad ſingula nomina, in perſonas ſingulas mergimur*: ſcribit l. contra *Praxeam* c. XXVI. In Hiſpaniâ tamen poſtmodum ob Arrianos, trinâ immerſione, ad tres, trium naturarum perſonas ſignificandas, utentes, UNA ADSPERSIO *introducta eſt*, ut ex *Gregorii M.* lib. I. Ep. 41. probari poteſt. Vid. D. *Calov.* th. 32. diſp. de Sacram. Init. Si *Becano* credimus, Manualis lib. I. c. IX. p. 278. alia cauſa eſt, cur *unicâ aſperſione*, vel immerſione baptizârint Hiſpani. *Orti ſunt* (juxtà Jeſuitam) *hæretici, qui putabant baptismum iterandum eſſe, ideoque baptizatos rebaptizabant. Ad hunc errorem corrigendum ſtatutum fuit in Concilio Toletano* IV. can. VI. ut UNA MERSIONE *baptismus Chriſti conferatur, ad deſignandam unitatem mortis Chriſti. Cum enim Baptismus*

repræ-

repræſentet nobis mortem Chriſti & *ejus paſſionem . juxtà illud Rom. VI. v. 3.* Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu,in morte ipſius baptizati ſumus; & *Chriſtus ſemel tantùm mortuus ſit, nullo modo baptiſmus iterandus, ſed ſemel tantùm conferendus eſt.*

(e) Infantes in Eccleſiâ primitivâ potiſſimùm baptizabantur feſto PASCHATOS & PENTECOSTES,(*Binius* in notis ad Conc. Gerundenſe T.IV. Conc. p.1570.)ut ex *Tertulliani* lib. deBaptiſmo contra Quintillam,monſtrat*Pamelius*, in notis ad hunc librum. Scilicet infantes poſt Paſchatos feſtum nati, baptizabantur in feſto *Pentecoſtes*; Et qui poſt feſtum Pentecoſtes naſcebantur, ad Baptiſmum offerebantur *die Paſchatis* anni ſubſequentis. Græci tamen in feſto ΘΕΟΦΑΝΕΊΑΣ etiam quondam baptizârunt. Vid. *Goarus* in Euchologio p. 476. Poſteà tàm in Oriente, quàm in Occidente, peſſima illa conſuetudo inolevit, ut quamplurimi *usque ad provectiorem ætatem* baptiſmum differrent. Hanc in *Oriente* Baſilius, Gregorius Nazianzenus & Nyſſenus; In *Occidente* S. Ambroſius extirpare conati ſunt. Tandem propter communis vitæ incertitudinem & mortis periculum (*cum* Socrates *teſtetur: In* Theſſaliâ *complures obiiſſe absque baptiſmo, quod* diebus PASCHÆ *tantum* Baptiſmum *conferre conſueverint*) hæc conſuetudo antiquata eſt, & obtinuit illud Tertulliani. c. 19. de Baptiſmo. *Cæterum omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile Baptiſmo. Si de So-*

lennitate intereſt, de gratiâ nihil refert. Nunc quid apud modernos *Græcos* fiat, diſpiciendum erit. *Metrophanes* de conſtituto tempore ad abluendos ſacro baptismate parvulos, hæc nobis reliquit: *Definitum tempus, quando baptizandi ſint infantes, non habemus, nam quidam eos* octavo die *baptizant, quidam* decimo, *alii autem* plus, *alii* minus. *Cum autem* neceſſitas urget, *ſtatim poſt* nativitatem *baptizatur, quod genitum eſt.* c. 7. p. 87. Conf. Sed *Abrahamus Ecchellenſis* in notis ad Canones Arabicos Concil. Nicæni, quæ habentur T. II. Concil. p. 409. *terminum in quo baptizantur infantes* in Eccleſiâ Orientali, *ad diem* quadrageſimum *usque extendit:* Ritum (*ſcribit*) baptizandi infantes, trinâ merſione QUADRAGINTA *dies* à *nativitate*, eſſe antiquiſſimũ in Eccleſiâ Orientali, nemo neſcit in Eccleſiaſticis rebus verſatus. Sed nec in his terminis ſubſiſtit vir cæteroquin doctiſſimus HUGO GROTIUS, ad cap. enim XIX. v. 14. Matth. ſcribere nullus dubitat: *Pleroſq; Græcorum in hunc usq; diem non baptizare infantes, niſi prius fidei ſuæ profeſſionem poſſint edere.* Sed quibus Teſtimoniis fultus ſit, VIR aliàs INCOMPARABILIS, non appoſuit. Illud, quod ex Walafrido Strabone legimus, *ad ſtatum modernæ Eccleſiæ Græcæ nihil facit.* Standum potius erit (donec contrarium probaverit,) cum D. Calovio, teſtimonio Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, quod legimus in reſponſo I. c. IX. *In nono* (articulo) *dicitur:* Baptizandos eſſe infantes, *nec adultiorem ætatem expectandam eſſe. Hoc*

quoque

quoque apud NOS fit; *ut ne quid accidat re dilatâ.*

(*f*) Habes hic tertiâ vice literas peregrinas, quibus formula baptizandi apud Ruſſos continetur. Vid. N. III. Cōmunis autem eſt ſentētia in formulâ Baptiſmi, Græcos & Latinos in hoc differre, quod Græci his verbis Baptiſmum adminiſtrent: BAPTIZETUR SERVUS DEI IN NOMINE PATRIS, FILII ET SPIRITUS S. AMEN. (Metrophanes c. VII. p. 86. Jeremias Reſp. I. c. II. p. 63.) Latini verò hâc utantur formulâ: EGO BAPTIZO TE IN NOMINE PATRIS, FILII ET SPIRITUS SANCTI. Olearius tamen, eadem verba, quæ apud Latinos in uſu ſunt, apud Græcos adhiberi teſtatur. p. 182. Itinerarii Perſici. Darnach nimmet der Prieſter das Kind blos von dem Gevattern / in beide Hände / tauchet es dreimal ganz ins Waſſer und ſpricht: Ich tauffe dich im Namen GOttes deß Vatters / Sohnes und deß Heiligen Geiſtes. Conſentit cum *Oleario* Euchologium Græcorum, quod allegat Dn. *Fhelavius* in notis ad Angelum p. 153.

Deinde olei(*a*) unctione, ſuper infantem precum benedictione factâ, cum oſculatione à Suſceptoribus (*b*) S. Crucis, Baptiſmus abſolvitur.

(a) Eſt hoc oleum juxta *Metrophanem* c. IX. p. 87. TYPUS SPIRITUS S. qui Salvatori ab aquâ ſtatim adſcendenti, ſuperſedit. Nec differtur hæc unctio donec ad provectiorem ætatem perveniant infantes baptizati. *Nam mox is qui baptizatus eſt, Sacro unguento ungendus eſt.* Chriſma enim hoc, ſigillum & ſignum Chriſti eſt: nosque inde gratiam adepti, in Baptismo Chriſtiani appellamur, & ad Dominum Chriſtum pertinemus. Non enim dedignatur de nomine ſuo nominare nos; quia & filios Dei adoptivos vocat, & Deos ex gratiâ. Ungens autem baptizatum ſacerdos: SIGNACULUM DONI (inquit) SPIRITUS S. AMEN! *Jerem.* Patr. Reſp. I. ad cap. II. Unde rationi conſentaneum eſt baptiſmati etiam Chrisma ſubjungi, nec in tempus differri; ſed baptizatum continuò illius verendæ communionis participem fieri. Vides ex his, benevole lector! in hoc etiam Eccleſiam *antiquam* cum hodiernâ *Græcorum* amicè conſpirare. UNGIT. I. *baptizatos* hodierna Græcia. *Vid. Jerem. Patriarch. Reſpons. II. p.* 239. Idem teſtantur Patres Latini, ſuâ ætate uſu receptum fuiſſe. Audi *Cyprianum* Ep. 70. ad Januarium: *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus eſt.* Et *Auguſt.* l. XV. de Trinitate c. 26. *Inviſibile donum gratiæ ſignificatur viſibili unguento, quo baptizatos unxit Eccleſia.* Et Concilium LAODICENUM (*quod juxta* Binium *medio tempore inter* Synodum Neocælarienſem & Nicænam I. *Univerſalem habitum eſt*) can. 48. *Oportet baptizatos, poſt Baptiſmum Chriſmatis*

tis quoque cœleſtis & regni Chriſti participes fieri. *Græcia* moderna II. CHRISMA BAPTISMATI SUBJUNGIT, nec in tempus differt, ſed baptizatum continuò illius verendæ communionis vult eſſe participem. Idem in *Veteri Eccleſia* mos obtinuit. *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedictâ unctione, de priſtinâ diſciplinâ, quâ ungi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant*, ſcribit *Tertullianus* l. de Baptiſmo c. VII. adde *Pamelii* notas in cap. VIII. lib. cit. n. 54. Et quoniam Pontificii, (*Bellarminus* c. 6. de Confirm. *Pamelius* Ep. 70. Cypriani) eò inclinant: ut his teſtimoniis, Confirmationis Sacramentum probent ac ſtabiliant; ideò *Ferdinandus de Mendoza* lib. III. de Confirmando Concil. Illib. ad can. 38. T. I. Conc. p. 1249. ſeq. operoſus eſt, ut probet: *In veteri Eccleſiâ ſacramētum* (ut vocat) CONFIRMATIONIS STATIM *poſt* BAPTISMUM *adminiſtratum fuiſſe fidelibus.* Equidem veriſſima hęc ſunt *Mēdozæ* verba. *Neq;* enim *Confirmatio*, quæ fiebat olei unctione & manus impoſitione, *peculiare conſtituebat Sacramentum*, ſed ceremonia, & complementum erat Baptiſmi, ut multis probat *Marcus Antonius de Dominis*, lib. V. de Rep. Eccl. c. V. p. 43. 44. &c. Et quia Baptiſmum Confirmatio ſtatim ſequebatur, pro ipſo BAPTISMO ſæpè uſurpatur. Vid. *Carol.* Du Freſne, T. II. Gloſſarii p. 1167. *Græcia* moderna III. hâc formulâ utitur σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. ἀμήν. SIGILLUM DONI SPIRITUS S. AMEN. Quæ formula can. VII. *Concilii Conſtantinopolitani I.* habetur. Vid. p. 952.

Tom. II. Conc. Sed Latini longè ab hâc receſſerunt, horum enim formula hæc eſt: CONSIGNO TE SIGNO CRUCIS ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALUTIS, IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS S. AMEN! quam formulam ultrà ætatem Amalarii, (*qui vixit ſeculo nono*) & Alcuini (*qui octavo ſeculo floruit*) Bellarminus non poteſt protendere. Imò Alcuinus ſcribere nullus dubitat, Romæ Pontificem ungere: IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS S. Si libri de Sacramentis eſſent Ambroſii (*quod tamen negat* Robertus Cocus *in cēſurâ Patrum p. 266.*) formula Chrismationis, in Latinâ Eccleſiâ, tunc temporis fuiſſet deprecatoria, & hæc: DEUS PATER OMNIPOTENS, QUI TE REGENERAVIT EX AQUA ET SPIRITU S. CONCESSITQUE TIBI PECCATA TUA, IPSE TE UNGAT IN VITAM ÆTERNAM. lib. 2. c. 7. Vid. M. Ant. de Dominis lib. V. c. V. n. 46. p. 51. Lepidus eſt *Pamelius*, quando hodiernam formulam confirmandi Latinorum, Ambroſii ætate uſitatam fuiſſe, ſcribit (in notis ad Tertulliani lib. de Baptiſmo c. 8. n. 54.) & ex cap. 7. lib. de iis, qui Myſteriis initiantur, eam exſculpere vult ex his verbis: SIGNAVIT TE DEUS PATER, CONFIRMAVIT TE CHRISTUS DOMINUS, ET DEDIT PIGNUS SPIRITUS IN CORDIBUS TUIS. Liber enim citatus Ambroſii non eſt, (Vid. Rob. Cocum loc. cit.) & nemo non videt: *formulam Confirmationis Pontificiæ ab his*

verbis

verbis multum diſcrepare. Sed & IV. *Si miniſtrum* ſpectas in antiquâ Eccleſiâ *conſignationis Baptizatorum*; erat is *non adeò* ſtrictè EPISCOPUS excluſis omninò PRESBYTERIS, quibus non niſi graviſſimis ex cauſis à ſummo Pontifice hujus unctionis executionem demandari poſſe ſtatuunt Theologi Pontificii; ut ſcribit *Petrus de Marcâ*, diſſert. ad Conc. Claromont. Tom. X. Conc. p. 585. ſed presbyteri etiam hoc cum Epiſcopis commune habebant. Notiſſima ſunt verba *Hieronymi* Epiſtolâ ad Evagrium: *Quid facit, exceptâ ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non faciat.* Et illa *Chryſoſtomi* in 1. Ep. ad Timotheum de Epiſcopis: *Solo ordinandi jure ſunt ſuprà presbyteros.* Vide plura de hâc materiâ apud M. Ant. de Dominis lib. V. c. XII. de Rep. Eccl. p. 328. Jam *Græciam* intueamur hodiernam. Suprà ex *Jeremiâ Patriarchâ* audivimus: *Sacerdotem qui baptizat* Chriſmate *etiam* ungere *baptizatum*. Photius in Epiſtolâ Encyclicâ Tom. X. Annalium, A. 863. n. 41. &. ſeq. idem teſtatur. Quibus addendum duxi, quod *Petrus de Marcâ* Archi-Epiſcopus Pariſienſis in diſſertatione ad Conc. Claromontanum habet: *Græcia confirmationis adminiſtrationem PRESBYTERIS SUIS, jam ANTE TEMPORA PHOTII permiſit, quod nec à PONTIFICIBUS, nec à CONCILIO FLORENTINO damnatum eſt.* Vid. Tom. X. Conc. p. 585. Adde Goaris notas in Euchologium p. 367. 368. Conſtabit autem ſine dubio ex his, CONFIRMATIONEM *Pontificiam*, & τὸ ἅγιον μύρον SAN-

CTUM UNGUENTUM *Eccleſiæ Antiquæ*, pariter & hodiernæ Græcæ, eſſe res longè diverſiſſimas.

(*b*) In maximâ veneratione apud Græcos & Ruſſos habetur SIGNUM CRUCIS. *Sive* baptiſent, *ſive* orent, *ſive* conſecrent, *ſive quodcunque aliud moliantur, ſemper* crucis effigiationem *præmittunt*. Adjurationis ſpecies eſt, ſi porrectâ cruce illam oſculo excipere, & ſic, quæ vera, quæ falſa ſunt, ediſſerere jubent. Suſceptores, abſoluto Baptismo, crucem oſculantur, in teſtimonium, *ſe, & infantem baptizatum venerari* CHRISTUM *eumque* CRUCIFIXUM. Hinc ſignum etiam crucis collo infantis baptizati appenditur. Hoc docemur ab *Oleario* Itinerarii Perſici p. 182. Der Prieſter hänget ihm (dem Getaufften) ein Creutzlein von Silber und Gold/oder Bley/(nach dem die Eltern Vermögens ſeyn/ und es ſchaffen können/) an den Hals. Das Creutzlein muß er die Zeit ſeines Lebens / zum Zeichen daß er ein Chriſt ſey/an dem Hals tragen. Wird jemand tod auf der Gaſſen gefunden/ und hat ſolches Creutzlein nicht bei ſich / wird er nicht begraben.

Ad fidem verò Ethnicos, Judæos, & Anabaptiſtas converſos, ut & infantes (*a*) in Eccleſiâ publicè, publicâ (*b*) confeſſione ab eis factâ, baptiſant.

(*a*) Evolve

(*a*) Evolve *Olearii* Itinerarium Perſicum pap. 183. invenies quomodo adulti apud Ruſſos baptizentur. Alte Leut / wann die ſollen getauffet werden / als da ſind ihre Chaldäer und Apoſtatæ, führet man ſie zu einem Bach / in welchen zu Winters-Zeit ein Loch durchs Eis gehauen wird / und tauchet ſie faſt mit ebenmäſſigen Ceremonien drinnen unter / daß ihnen das Waſſer über den Kopf zuſammen ſchläget. Diſſentit ergò à *noſtro Zialovio* Dn. Olearius, quod hic in rivo, aut fluvio adultorum baptiſmum peragi ſcribat; ille verò in Eccleſiâ, (*quâ voce* templum *intelligit,*) eum celebrari aſſeveret.

(*b*) Hæc fidei profeſſio, & huic annexa Satanæ abrenunciatio, jam *Tertulliani* ævo fieri cœpit, & labentibus ſeculis ſemper in Eccleſiâ obſervata fuit. *Aquam adituri* (baptiſmatis) *ibidem, ſed & aliquando prius in Eccleſiâ, ſub Antiſtitis manu conteſtamur:* nos renunciare Diabolo, & Pompæ & angelis *ejus*; ſcribit *Tertullianus* lib. de Coronâ Milit. c. III. & confirmat hoc *Cyprianus* Ep. 7. *Seculo abrenunciaveramus quando baptizati ſumus.* Vid. *Pamelii* notas *ad h. l.* itemque *ad l. de Baptiſmo* & ad *Cypriani Ep. 7.* Si liber, de iis, qui Myſteriis initiantur, eſſet *Ambroſii*, poſſemus etiam ex illo aliquid, quod ad rem noſtram faceret, producere. *Repete* (ſcribit dictus autor, ſive ſit *Ambroſius*, ſive alius) *quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſpõderis:* Renunciâſti Diabolo & *operibus ejus, mundo ac luxuriæ ejus ac voluptatibus.* Et quidem de fide interrogati adulti,

ipſi reſpondebant, fidei ſuæ inſuper velut teſtes & ſponſores dabant, ſpectatæ probitatis viros; ceu ex *Euſebii* lib. VII. Hiſt. c. 20. colligere licet. Loco infantum verò ſuſceptores & Satanæ abrenunciabant, & fidem Chriſtianam profitebantur. Quâ de causâ à S. Auguſtino Serm. 163. FIDEJUSSORES, & à Tertulliano lib. de Baptismo c. XVIII. n. 127. SPONSORES vocantur. Adde *Pamelii* notas ad h. l. *Tertull.* Nunc in eo erimus, ut doceamus, quid alii, de profeſſione fidei & abrenunciatione Satanæ, hodie apud Græcos fieri ſolitâ, prodant. Si *Olearium* in manus ſumimus p. 182. Jtinerarii, hæc in obtutum veniunt: Darauf fraget er der Prieſter: Ob das Kind glaube an GOtt dem Vatter / Sohn und Heiligen Geiſt / wann dann die Gevattern mit ja geantwortet / müſſen ſie ſich ſamt den Prieſter umwenden und den Rucken nach den Züber kehren. Dann fraget er: Ob das Kind dem Teufel / und allen ſeinen Engeln und Werken abſagen / und bei der reinen Griechiſchen Religion die Zeit ſeines Lebens verbleiben wolle? Indem die Gevattern auf jede Frag antworten / müſſen ſie mit dem Prieſter die Erden allemal eiferig anſpeien. Et hæc fiunt in baptismo infantum. De adultorum verò, lege p. 184. ſequentia. Die abtrünnige Chriſten / wie auch Tartarn und Heyden / wann ſie ſich zum Ruſſiſchen Glauben wenden / und ſich wollen tauffen laſſen / müſſen zuvor ſechs Wochen in einen Kloſter verwahret / und von den München in der Religion / am meiſten aber in Ubung ihrer

Manier zu beten / und Erkennung der Heiligen und ihrer Bilder ſich zu neigen und zu ſegnen unterrichtet werden. Hernach führet man ſie zur Tauf / da ſie dann ihre gehabte Religion/als eine ketzeriſche und verdammte Lehr dreimal anſpeien/ und dieſelbige nimmer wieder anzunehmen verſchwehren müſſen. Formulam ABRENUNCIATIONIS *Judæi* religionem GRÆCORUM ſuſcipientis, ex *Fbelavii annotatis* ad c. 24. Angeli. p. 486. quam ex Goaris Euchologio deſumſit, adjicere placuit, quæ hæc eſt: *Renuncio omni Ebræornm conſuetudini, & ritibus, & legalibus, & azymis, & agni immolationibus, & tubis, & Tabernaculorum feſtis, & reliquis omnibus Ebræorum feſtis & hoſtiis, & orationibus, & aſperſionibus & purificationibus, & ſanctificationibus, & propitiationibus, & jejuniis, & Neomeniis, & Sabbatis, & ſuperſtitionibus, & cantibus, & canticis, & obſervationibus & Synagogis, & cibis & potibus Judæorum.* Uno verbo, omni penitus Judaïcæ rei, & legali, & conſuetudini & ritui renuncio. *Et ſuper omnia illi, qui in Chriſti figurâ, habitu, ab omnibus Judæis expectatur* Anti-Chriſto *renuntio, & vero Deo & Chriſto conjungor. Et credo in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: Sanctam conſubſtantialem & individuam Trinitatem. In carne pariter diſpenſationem, & ad homines Dei verbi unius Trinitatis deſcenſum. Et quod homo verè ſit factus profiteor. Annuo quoque ipſum ſuâ Deitate non excidiſſe, & Sanctam virginem Mariam certò & verè ſecundum carnem eum peperiſſe, & Deiparam*

ram eſſe credo & prædico. Et venerandam Chriſti crucem & ſacras imagines ſuſcipio, veneror & amplector. Et hoc pacto, ex totâ animâ, & corde, & fide verâ ad Chriſtianam fidem accedo. *Sin autem dolo, vel ficto animo & non fide integrâ & perfectâ, Chriſtum ſincerè amante; ſed nunc quidem me Chriſtianum eſſe ſimulo, deinceps verò negare voluero, & ad Judaicam redire ſuperſtitionem, aut cum Judæis convivans repertus fuero; aut feſtum agens, aut furtìm converſans, aut Chriſtianam religionem condemnans, & non potiùs ipſos manifeſtè redarguens, & vanam eorum fidem deteſtans;* Nunc equidem *CAINI* tremor, & *GIEZI* lepra ſuper me veniant, *præter politicarum legum pœnas, quibus me ſubjiciendum agnoſco. Et in futuro Seculo ANATHEMA* ſim, & anima mea cum Satanâ *& Dæmoniis collocetur.*

Eccleſias imaginibus non ſculptis (*a*) (quas tanquam idola fugiunt) ſed pictis pulcherrimè & ſumtuosè exornatas habent.

(*a*) Idem etiam de Græcis ſcribit Metrophanes cap. XV. p. 128. Conf. *Sanctorum imagines* Eccleſia *nec ſculptiles faciebat, neque exciſas,* ſed pictas tantùm, *quemadmodum addiſcere licet* ex Euſebio & Irenæo *viris antiquisſimis, nec non multis* aliis S. Patribus *primitivæ Eccleſiæ.* Adde Goari notas in Euchol. p. 28. At ex Euſebio

&

& aliis B. *Chemnitius* oſtendit: usque ad *Hieronymi* ætatem fuiſſe probatæ religionis viros, qui in templis nullam ferebant imaginem, nec pictam, nec ſculptam, nec textam *ac ne ipſius Chriſti quidem.* Imò nè *CONSTANTINI M.* quidem tempore imagines in templa recepta fuiſſe. Part. II. Loc. p. 42. part. IV. Exam. p. 43. Concilium habitum ILLIBERI, quæ judicio B. *Calixti*, vel hodie *GRANADA* eſt, vel certè olim propè eam, quæ hodiè Granada eſt, fuit (*Archontologia tamen Cosmica* Illiberim *dicit eſſe urbem* COLLIBRE *in Cataloniâ* p. 148.) circa tempora Concilii I. Nicæni congregatum, can. XXXVI. ita de imaginibus pictis ſtatuit: *PLACUIT PICTURAS IN ECCLESIIS ESSE NON DEBERE, NE QUOD COLITUR, AUT ADORATUR, IN PARIETIBUS DEPINGATUR.* Ad quem Canonem celeberrimus Aurelianenſium Epiſcopus *Gabriel Albaſpinæus* hæc annotavit: (Vide Tom. I. Conc. p. 998.) *Vetant igitur* (Patres Illiberitani) *Deum in parietibus depingi, ne ſcilicet quem gentilibus & Catechumenis* immenſum, omnipotentem, inviſibilem, æternum, incomprehenſibilem, ſpiritualem, corporis & materiæ expertem & immunem *prædicarent, eum ipſi gentiles & Catechumeni in ipſorum Eccleſiis lineis & coloribus circumſcriptum & comprehenſum cernerent. Ne igitur divini Numinis* MAJESTAS *minueretur, & aliud de Deo depingeretur quam prædicarent, & quem ſuper homines extollerent*, humanâ ſpecie depictum *oculis ſubjicerent, vetant ne in Eccleſiâ*

Dei imagines ſuſpendantur. Cum quo facit *Ferdinandus de Mendoza.* lib. III. de Concil. Illib. ad can. XXXVI. Tom. I. Conc. p. 1230. *Marcus Antonius de Dominis* aliam cauſam addit, cur imagines Dei & Chriſti depictæ in templis, à Patribus Hiſpanis, in dicto Concilio Eliberitano ſint prohibitæ? *Ne ſcilicet adoratio debita Prototypo, in illius imaginem transferatur.* Manifeſtum autem eſt ex verbis hujus canonis, Patres Illiberi congregatos, *picturas Eccleſiæ habuiſſe inter eas conſtitutiones, quæ non naturæ, aut divinâ lege conſtant, ſed quæ humanis Epiſcoporum placitis rogantur, vel abrogantur*, quod per verbum PLACUIT indicare voluerunt. Quæ enim credenda ſunt, & ad fidem pertinent, in Conciliis non per PLACET, aut VISUM eſt, conſtituuntur, ſed per verbum *CREDIT, & AD ISTUM MODUM CREDIT SANCTA ET CATHOLICA ECCLESIA*; prout obſervavit Ferd. de *Mendoza* lib. II. de Confirmando Concil. Illiberit. c. II. Tom. I. Conc. p. 1067. Sed ad Ruſſos nos conferamus, & *an pictas*, vel ſculptas *habeant imagines inquiramus:* Man ſiehet nicht / daß die Ruſſen viel geſchnitzte oder gegoſſene Götzen oder Bilder gebrauchen ſolten / ſondern nur gemahlte. In gantz Reusland wo wir geweſen / habe ich NICHT MEHR ALS EIN GESCHNITZTES Nicolai BRUST-BILD geſehen / welches in Moſcau im Kreis Zaargorod, wann man vom Schloß nach der Pfort Dmitreske gehen will / an der Heerſtraſſen zur rechten

bei

bei einer Capellen ſtehet. Da dann für denſelbigen die fürüber gehenden ſich andächtig ſegnen / und den Popen/der darbei ſtehet/Allmoſen geben: ſcribit Olearius in der Perſianiſchen Reisbeſchreibung p. 180. adde *Fhelav.* ad proleg. *Angeli* p. 34. *D. Vejel.* in diſſert. p. 40. & in defens. Diſſert. p. 224.

Aquæ benedictæ (*a*) pro Eccleſiis, domibus noviter extructis & aliis locis à malignis ſpiritibus infeſtis, (*b*) conſecrandis (*maximè verò illius aquæ, quæ poſt Natale Chriſti die undecimo* in vigiliâ Epiphaniorum *conſecratur*) uſum habent;

(*a*) Diſſentit à noſtro Edwin *Santes* in libello Bericht von der Religion / cap. 42. p. 572. Gleicher Meinung (ſchreibt er) ſind ſie (die Griechen) wegen deß Weihwaſſers / davon die Papiſten ſo viel halten: Dann ſie können nicht glauben/ daß der Teuffel darvor erſchrecke / oder daß ſelbiges die Krafft habe von Sünden zu reinigen/ wie die Romaniſten lehren. Goarus tamen officia, tàm aquæ benedictæ minoris, quàm majoris in Θεοφανείοις, nobis exhibet in Euchologio p. 441. & 453.

(*b*) In

(*b*) Ita de conſecratione hujus aquæ Chriſtoph. *Angelus* lib. cit. cap. 15. p. 29. *Inſuper abſtinent quoque* in quintâ die Januarii, *ab omnibus aleimatibus*, & *id quidem hâc de causâ*, quia ſextâ dicti menſis die, *ſecundum Græcos*, Chriſtus baptismate tinctus eſt, *quamobrem ſacerdotes, memoratâ die ſextâ*, aquas conſecrant, *populusque aquas illas conſecratas bibit*. Delectant lectorem, quæ de *conſecratione aquarum*, apud *Armenos* uſitatâ, annotavit *Olearius* pag. 294. der Perſianiſchen Reisbeſchreibung. Peculiarem autem vim ineſſe aquis die ſextâ Januarii, credidit antiquitas. Produco ex *Caſaubono* verba *Chryſoſtomi: Hic eſt* dies ille, quo baptizatus eſt (*Chriſtus*) & *aquarum ſanctificavit naturam. Propter hanc cauſam mediâ nocte hujus feſti* omnes aquam hauriunt, *ac domi reponunt, ac per annum integrum aſſervant*, quaſi eo die aquæ eſſent ſanctificatæ. *Signum autem hujus rei evidens eſt*, quod aquarum illarum natura non corrumpitur diuturnitate temporis. *Sed per annum integrum, imò tres & quatuor ſæpenumerò annos integræ ac recentes permanent, ac poſt temporis intervallum cum iis quæ* ex fonte hauſtæ ſunt aquis, *bonitate certant*. Exercit. XIII. Num. 10. pag. 183. Conf. B. *Calixti* Hiſtoriam Mag. p. 45. *Goarum* pag. 467. in notis ad Euchologium.

Feſtum Paſchatis pro primo (*a*) (*quo Hieroſolymis* ignis miraculoſè cœlitus *quolibet*

bet anno infallibiliter deſcendens, *lampas* (lampades) & cereos *in manibus Patriarchæ ad ſepulchrum Chriſti preces fundentis*, accendit) *ſolenniter celebrantes habent.* Idque non ſecundum Gregorianum(*b*) ſed vetus Calendarium.

(*a*) Nec ſuo teſtimonio autorem noſtrum deſtituit Chriſtoph. *Angelus loco* ſæpius cit. cap. 42. p. 100. Fhelavius in notis ad Angelum de eodem Lumine verba *Leonis Allatii* adducit, quæ quoniam nimis prolixa ſunt, ipſas *Fhelavii* notas conſule. Nec ſilentio præterit hoc lumen Magnificus Dn. *Fürerus* in der Reisbeſchreibung deß gelöbten Landes: Die Oſtern/ oder das Feſt der Auferſtehung Chriſti halten ſie (die Griechen) mit groſſer Andacht. Da dann einer von den Patriarchen deß Abends/ nachdem alle Liechter und Lampen ſind ausgelöſchet worden / in das Heilige Grab/oder die Capellen deß Heiligen Grabes ſich verſperret/und nachdem er die ganze Nacht darinn hat zugebracht/kommet er mit Aufgang der Sonnen wieder heraus / haltend in ſeiner Hand ein brennend Liecht / welches Feuer / wie ſie darvor halten / vom Himmel herab kommen ſolle. Multus etiam eſt de hoc lumine Johannes *Wild* in ſuo

Itinerario lib. II. c. 53. *Petrus Arcudius* tamen pro figmento habet quæ de hoc lumine Sancto proferuntur. *Fhelav.* in notis majoribus *ad Ang.* p. 834. Et certè, ſi vera fuiſſent, quæ de hoc lumine Sancto dicuntur, *quid opus fuiſſet controverſiâ illâ* tàm diuturnâ, *imò ſchiſmate, inter Eccleſias* Aſiaticas *&* *Romanam*, dum illæ Paſchatis feſtum celebrandum contendebant cum Judæis 14. *Luna menſis Niſan, unde QUARTADECIMANI nominati ſunt; Hæc autem* Dominicâ ſequenti, *quæ temporibus S. Polycarpi* & Rom. Pontificis Aniceti *cœpit, ſub* Victore I. *in apertum ſchiſma erupit & tandem* in Concilio Nicæno I. ſopita eſt? Digito enim exerto Deus hoc lumine monſtrâſſet, *quo die* PASCHA *eſſet celebrandum.* An POLYCARPUS ad Aniceti ſententiam? An *ANICETUS* ad *Polycarpum* accedere debuiſſet?

(*b*) Audiamus denuo Chriſtoph. *Angelum* lib. cit. c. 42. *Obſervatum autem eſt* (inquit) *miraculoſum hunc actum* (ubi terra mortuorum corpora protrudit) *ſemper eo tempore contingere*, quo Paſcha ſecundum antiquam, *minimè vero ſecundum* noviter introductam conſuetudinem *celebratur. Decreverunt quidem* Græci *aliquando ante viginti puta annos* (ſcilicet quando *Chriſtoph. Angelus* hæc ſcribebat) *Paſcha celebrare tempore* recens approbato, *verùm tùm nulla corpora terram protrudere animadvertebant. Ad hæc nec* ſacra illa lux, quæ tempore Paſchatos à veteribus conſtituto, *circa ſepulchrum Chriſti ſeſe conſpiciendum præbere aſſolet, tum lucere voluit:* Græci *itaque anti-*

antiquum Paſchatis *tempus præſtolabantur*, quo adventante & lux ſacra fulſit, & terra, ſolito annuatim more, corpora produxit. *His viſis*, Græci *Paſcha ſuum illo ipſo tempore obſervârunt*, *dicentes: EN VIDETE! IPSE DEUS INTENTO QUASI DIGITO VERUM PASCHA NOBIS DESIGNAT.* Cap. 42. p. 100. De *Calendario* verò apud Ruſſos uſitato, hæc ex *Oleario* diſcimus: Ihre hohe und in unſerer Kirchen gebräuchliche Feſte / haben ſie nach dem alten Calender / welchen ſie auch gebrauchen mit uns zugleich. Vid. pag. 176. der Perſianiſchen Reisbeſchreibung.

Pontificem Romanum pro ſupremo (*a*) capite Eccleſiæ & abſolutam poteſtatem illius non agnoſcunt; imò pro rejecto ex (*b*) catalogo Patriarchali, ob multas ſuas in Eccleſiâ Romanâ innovationes habent.

(*a*) Martinus *Cruſius* p. 76. Turco-Græciæ, diſſenſiones Græcorum cum Latinis his verbis proponit. Præcipua *de principatu in Eccleſiâ* diſſenſio eſt. Hinc Imperator etiam Manuel *Palæologus* venerationem imaginis crucifixi Chriſti, in

dextrâ manicâ Chorepiſcopi *Latini* intextæ, recuſabat, *ne videretur PAPÆ ROMANI agnoſcere imperium.* Tentata quidem ſæpiùs fuit unio, *Græcique* in Concilio *FLORENTINO* genu ſimul atque dexteram Pontificis, *& inter ſe* Græci Latinique *oſculati ſunt* & Synodo *ſubſcripſerunt.* Verùm Græci domum reverſi, concordiam prædictam ſervare non potuerunt, ut ſcribit cit. *Cruſius* lib. alleg. p. 186. 187. Scilicet Græci hodieque acriter defendunt ea, quæ in Concilio *CHALCEDONENSI* ſedi *CONSTANTINOPOLITANÆ* conceſſa ſunt, nimirum τὰ ἴσα πρεσβεῖα, ÆQUALIA PRIVILEGIA, ſeu jura cum ſede Senioris Romæ. Hinc cum *Pontifex & Latini dominari volebant*, Græci liberi eſſe; *Facere illi injuriam*; hi prohibere; *concordia*, pax & *amicitia ſtare non potuit*, ſed Græci à Romanis *Romani à Græcis* ſe ſeparârunt. Teſtantur de hoc ſchiſmate *Latini* & Græci ſcriptores, quorum magnum catalogum invenies ap. *D. Haberkorn* in vind. Anti-Forero à pag. 242. usque ad p. 463. *Thelavium* in notis ad præfat. Chriſtoph. Angeli. *Vejelium* Exerc. Hiſt. Theol. p. 53. in Defens. p. 136. & ſeq. Johanni XXII. (*qui prolixâ epiſtolâ unam eſſe Chriſti Eccleſiam*, ſeque ejus caput & Chriſti vicarium *Græcis ſcribebat*) his verbis vale dixerunt Orientales: *Potentiam tuam ſummam erga tuos ſubditos* firmiter credimus: *Superbiam tuam ſummam* tolerare non poſſumus: *Avaritiam ſaturare* non valemus: *Diabolus tecum*, quoniam *DOMINUS NOBISCUM. D. Haberkorn* loc. cit. p. 45.

(*b*) Ca-

(*b*) Catalogus, de quo ſcribit Autor *noſter*, ab aliis DIPTYCHA vocantur, quorum *tria* in Eccleſiâ *Græcâ* ſunt *genera*. I. EPISCOPORUM, in quibus præſulum, qui illam Eccleſiam rexerunt nomina, *ſi modo ſanctitatis ac probitatis nomine claruiſſent*, ad futurorum exemplum & meritorum memoriam examinabantur, atque ut *eorum memoria* præſentior eſſet, *inter* Miſſarum *ſolennia recitabantur*. E quibus deleri, erat è memoria hominum aboleri, *quod* non niſi IMPIIS ET HÆRETICIS, ita jubente ſuperiori autoritate, cujus id munus erat, *contingebat*. Diptychorum alterum genus fuit VIVORUM, in quibus nomina eorũ deſcripta erant, qui eo tempore vivebant, *dignitate aliquâ* præfulgentes, vel *collatis beneficiis* in eam rem *conſpicui*, vel *parentes*, vel *conſanguinei* celebrantium, vel *alio aliquo nomine bene meriti*, quorum inter *Miſſarum* ſolennia *poſt conſecrationem* memoriam inculcabant, Deumque ut benè ipſis eſſet, exorabant. Tertium genus Diptychorum erat MORTUORUM. Eorum nempe omnium *qui in fide obdormiêrunt*, pro quibus Deum orabant. Vid. *Fhelavius* in annot. ad præloquium Angeli p. 15. 16. 17. 18. Adde Carolum *Du Fresne* p. 109. Gloſſarii. De Diptychis ergo *primi generis*, hoc in loco, noſter *Autor* loquitur. Si Michaelis *Cerularii* fides eſſet certa, jam ab ipſis *Vigilii* temporibus, circa tempora *CONCILII CONSTANTINOPOLITANI* II. & Oecumenici V. *Romani Pontificis nomen* è Diptychis Eccleſiaſticis *deletum fuiſſet*. Ut conſtat ex

Michaëlis epiſtolâ, datâ *ad Petrum Patriarcham* Antiochenum. *Petrus de Marcâ* verò aliud nos docet: Petrus Patriarcha Antiochenus, in Epiſtolâ ad *Michaelem Cerularium*, (*quam reperit citatus* Petrus de Marcâ *in* Manuſſ. *Bibliothecæ Regiæ*) hunc *Michaelis* errorem caſtigavit, monſtrans *Cerulario:* Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ſedem tenuit, (*juxta computum* Petri de Marcâ) *ab Anno 997. usque ad Annum 1017.* communione junctum fuiſſe cum *Johanne XIX.* ſeu, ſi mavis *XVII.* qui ſedit *Anno 1003. usque ad Annum 1009. Epiſtolam hanc* Petri Antiocheni Patriarchæ *videre poteris* L. B. *in lectu jucundiſſima diſſert.* Petri de Marcâ ad *Decretum* VIGILII Tom. V. *Conc.* p. 608. 609.

Purgatorium ignem ad decipiendos ſimplicium hominum animos à Romanæ aulæ hominibus callidè excogitatum eſſe putant.

Quamvis Leo *Allatius* multùm ſit ſollicitus & valdè operoſus: *ut conſenſum* GRÆCORUM *cum* LATINIS *ſtabiliat in materiâ de* purgatorio: Inveniuntur tamen ſcriptores & *Græci* & Pontificii, *qui Græcorum diſſenſum* nimis apertè profitentur. Prodeat *Alphonſus Bovoſus* in Proœmio diſpp. Catholicarum contra Græcos: *Tertio loco* (inquit) *repugnantem* Evangelio *atque* confeſſioni pa-

ni patrum ſuorum, *atque adeò* ſibi ipſi, *oſtendemus* Græcorum ſententiam, *quam de* animarum pœnis *atque* præmiis *confinxerunt*, *quâ & PURGATORIUM TOLLUNT, ET TAM BEATORUM PRÆMIA, QUAM REPROBORUM POENAS IN DIEM DIFFERUNT Univerſalis judicii.* Ex *Græcis* autem habemus præter noſtrum AUTOREM, Chriſtoph. *Ang.* c. XXVI. p. 51. Conf. NULLUM GRÆCI STATUUNT PURGATORIUM. *Plures* qui cum *Angelo* faciunt, citat *Fhelavius* p. 168. 169. junge Fhelavio D. *Haberkorn.* in vind. Anti-Forero à p. 464. usque ad 467. *Vejelii* Exerc. Hiſtorico-Theol. p. 90. Affines quidem Græci habent ſententias, quibus Clerus Romanus ignem ſuum Purgatorium accendere laborat, quales ſunt PRECES v. g. & ELEEMOSYNÆ pro DEFUNCTIS. *Verum enim verò ipſi* Græci *fatentur*, preces pro defunctis non eo fine apud ſuos fieri, *QUASI ANIMÆ IGNE PURGATORIO TORQUEANTUR*, & precum harum interventu liberentur. Certiores nos facit *Metrophanes* c. 20. pag. 148. Conf. *Eccleſia conſtituit aliquam in ipſos* (qui obiêrunt) *conferre benevolentiam*, *quæ quidem* in precibus & ſupplicationibus *pro illis* ad Deum univerſi *ſurſum mittendis conſiſtit*; ut ab *alterutro* duorum, *vel ab ærumnis, quibus detinentur*, *ipſos mox liberet;* vel ſaltem remiſſionem quandam & conſolationem eis, in carcere divinitùs conferat. ADSERIT *autem* Eccleſia: POENAM *eorum neque* MATERIALEM, *neque ORGANICAM*

 eſſe,

eſſe, neque *PER IGNEM*, *neque per QUALEMCUNQUE MATERIAM ALIAM*, ſed per *ADFLICTIONEM* & anguſtiam *CONSCIENTIÆ*, *eamque his accidere* è recordatione eorum, *quæ in mundo neque* ſecundum rationem, *neque* ſanctè perpetrârint. Vid. *Chytræi* Orat. de *Eccl. Græcâ* p. 18. & D. *Vejelii* Defenſionem p. 163. Quare verò Pontificii pro Purgatorio, tanquam pro aris & focis, dimicent, oſtendit *M. Antonius de Dominis* lib. V. c. 8. de *Rep. Eccl.* pag. 257. PURGATORIUM *ditavit*, & *indies magis ditat Eccleſias.* ABBATIÆ *opulentiſſimæ*, PRIORATUS, PRÆPOSITURÆ *Virorum* & *Fœminarum*, beneficio Purgatorii, *ut plurimùm ſuas habuerunt fundationes.* PURGATORIUM *ingentia prædia hæreditatesque peramplas* à Laïcis *ad noſtros transtulit*, *ingenti cum dolo*, *Sacrificulos* & *Monachos:* PURGATORIUM *ſummas his ipſis* exhibet delicias, & *ad omnem luxum comoditates ſuppeditat non exiguas.* De his enim veriſſimum eſt alicubi proverbium; EOS FOEDARE VIVOS, MORTUOS DEVORARE. Ex PURGATORIO *D.* PAPA & *CARDINALES* ſuis maximè affluunt *deliciis*, *ſive ex commendis magnorum monaſteriorum* Purgatorii nomine *fundatorum*; *ſive ex indulgentiis pro mortuis*; *ſive ex donariis legatisq; moribundorum.* Atq; ita PURGATORIUM ſolum *penè nutrit abundè*, *magnos* & *parvos*, & *vel ipſis* clericulis *officiĩ mortuorum recitãtibus*, ſua porrigit munuſcula. *Nec mirum quod tot tantaque ſint* purgatorii emolumenta. *Summa enim*

enim noſtrâ Eccleſiaſticorum *arte factum eſt*, *ut in* purgatorium *tandem omnia reducantur.* Culpæ duntaxat remiſſionem per abſolutionem Sacramentalem *Chriſtianis prædicamus*, pœnas temporales *relinqui ſeriò & ſeverè inculcamus.* Difficultates magnas plenè ſatisfaciédi in hâc vitâ exaggeramus, & PURGATORIUM PURGATORIUM inclamamus, *ubi amariſſimis & diutinis pœnis animas cruciari perſuademus.* His miſeri homines perterriti, *ubi jam ſe morti propinquos ſentiunt*, *ut pœnas imminentes* in PURGATORIO *redimant*, quicquid poſſunt legant Eccleſiis & Monaſteriis, *ut Miſſis & precibus eos quamprimùm liberent. Quod* ſi quis *iſta* contempſerit, *&* nullis, *aut* exiguis *factis legatis piis deceſſerit*, *adſunt* Presbyteri, *adſunt* Monachi, *adſunt* Confesſarii, *obtundunt aures* uxoris *viduæ*, fratrum, *filiorum*, hæredum, *executorum*, *ut pro animâ illius* Miſſas procurent, Altare *aliquod*, *vel* Capellam *cum debitâ dotatione* fundent; Miſſas *quotidianas & perpetuas* inſtituant; *& talibus dolis* VIDUARUM præſertim & SIMPLICIORUM *crumenas exhauriunt*, prædia *quoque ac* reditus *ad ſe trahunt.* Prolixus eſſem, ſi vellem hîc artificia omnia enumerare, quæ PURGATORIO innixa, avaritiæ noſtræ explendæ inſerviunt mirabiliter. Hæc M. *Antonius de Dominis.*

Sacerdotes quos vocant ſeculares, primum Matrimo-

 nium

nium idque virginale & caſtum (*a*) ante ordinationem contrahere, licitum & honeſtum eſſe aſſerunt. Secundum verò matrimonium perſonis Clericalibus non modò illicitum, ſed minimè honeſtum eſſe judicant. Si verò aliquis ſacerdos matrimonium ſecundum contrahit (*b*) de facto officio & dignitate ſacerdotali privatur.

(*a*) Calculo ſuo hoc ſupra p. 100. comprobârunt *Metrophanes* Græcus, Concilium *CONSTANTINOPOLITANUM*, Fridericus *Staphylus*, Johannes *Bonderius*, Martinus *Becanus*, Laurentius *Forerus* Pontificii. His ſubjungo *Jeremiam* Patriarcham Conſtantinopolitanum: *Secundo* (ſcribit) *dicit melius eſſe* matrimonium contrahere, *quam* uri, *ſecundum illud:* unius mulieris virum, *& cætera D.* Pauli *præcepta. Ideo* nos quoque illis ſacerdotibus qui ſe continere non poſſunt, *antequam ſacerdotio conſecrati ſunt*, conjugii uſum permittimus. *Neque ignoramus*

conjugio

conjugio ſacerdotibus interdicto, *turpia ab ipſis committi. Reſponſo* I. p. 129. & Chriſtoph. *Angelum* c. 47. p. 112. *Græci in Urbibus & pagis habitantes, ſi Diaconorum in Ordinem cooptari deſiderant*, primò ducunt uxores, *hoc facto* DIACONOS SACROS *ipſos creant Epiſcopi. Qui verò matrimonium inire recuſat*, illum CUCULLAM prius induere oportet, *ac tum demum deſignatur Diaconus ſacer. Poſteà verò* conjugio ſe conſecrare nequit, *niſi excommunicationis pœnam velit incurrere.* E noſtratibus verò audiẽdus eſt *Chytræus* Orat. de Eccleſ. Græcâ p. 18. *Maritis Sacerdotio fungi concedunt, ſed Monogamis tantùm.* Conſona verò hæc ſunt *Canoni X.* Concilii ANCYRANI Anno 314. (ut *Labbeus* & *Coſſartius* ſupputant) ante Concilium I. NICÆNUM in civitate ANCYRA in Provinciâ GALATIÆ habiti. *Διάκονοι ὅσοι καθίςανται παρ' αὐτὴν τὴν κατάςασιν εἰ ἐμαρτύραντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι, μὴ δυνάμενοι ὕτως μένειν. ὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες, ἔςωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ. διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοῖς ὑπὸ τῦ Ἐπισκόπυ. Τῦτο δὲ εἴτινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν ὕτως, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον πέπαυσθαι αὐτὺς τῆς διακονίας.* Interprete *Gentiano Herveto* ita ſonat: *Quicunque* Diaconi *conſtituti, in ipſâ conſtitutione teſtificati ſunt & dixerunt*: Oportere ſe uxores ducere, cum non poſſint ſic manere, ii *ſi uxorem poſteà duxerint*, SINT IN MINISTERIO, *eò quod hoc ſit illis ab Epiſcopo conceſſum. Si qui autem hoc ſilentio præterito, & in ordinatione, ut ita manerent, ſuſcepti ſunt, po-*

ſteà autem ad matrimonium *venerint*, *ii à* Diaconatu *ceſſent*. Ad hunc Concilii *Ancyrani* Canonem X. [qui juxta interpretationem Dionyſii Exigui IX. eſt,] ex Baronio *Binius* hæc annotavit. Tom. I. Conc. p. 1478. *Quod* APOSTOLICA *lege non ſacerdotes tantùm, ſed etiam Diaconi* absque uxore cœlibem vitam ducere *ab exordio naſcentis* Eccleſiæ *obligati fuerint*, *hic CANON*; *poſt alios APOSTOLORUM & ELIBERTINI Concilii complures*, *ſolidisſimè confirmat. Quod verò Patres* Concilii *permiſerint*, ut Diaconi illi, *qui cum ordinarentur inviti conteſtatique fuiſſent*: ſe non poſſe continenter vivere: *poſt ſacrum Diaconatus ordinem ſuſceptum* uxorem ducant; *non aliter ſane conceſſum eſt*, *quam quod à ſacri muneris exercitio* abſtinentes, *non amplius* cum ſacris miniſtris, *ſed cum populo extra cancellos* LAICA COMMUNIONE *communicarent*: Sed quàm falſa, quam dubia ſint omnia, quæ *Binius* ad hunc Canonem X. *Ancyranum* obnubilandum profert, facili negotio animadvertes. Canonem X. Ancyranum confirmare I. aſſeverat: APOSTOLICA LEGE *non ſacerdotes tantùm*, *ſed etiam Diaconos* absq; uxore cœlibem vitam ducere, *ab exordio naſcentis Eccleſiæ obligatos fuiſſe*. At quæſo! *ubi vel verbulum de omnibus his in allegato Canone exſtat?* Confirmari ſcribit II. hoc *Canonibus Apoſtolorum*. Sed vide ſaltem *Rob. Coci cenſuram* p. 4. de his canonibus. *Suppoſititii ſunt plurimi eorum* & (Michaëlis Medinæ *teſtimonio*) vix ſex, aut octo Eccleſia Latina *nunc obſervat*. Imò

Apoſto-

Apoſtolici Canones potiùs Pontificiis, in hâc materiâ adverſantur. Lege CANONEM V. Anon jubet: Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας. Ἐὰν δὲ ἐκβάλλῃ (al. lect. ἐκβαλῇ) ἀφοριζέσθω ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω. *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus* uxorem ſuam non ejiciat *prætextu religionis: ſin autem* ejecerit, *ſegregetur; & ſi* perſeveret, *deponatur?* Provocat III. ad *Canonem* Concilii *Illiberitani*, ſine dubio XXXIII. *Placuit* in totum prohiberi *Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus*, POSITIS IN MINISTERIO, abſtinere ſe à conjugibus ſuis & non generare filios: *quicunque verò fecerit ab honore clericatûs, exterminetur.* Sed hoc *Illiberitanum* Concilium *frequenter erraſſe, reprobatum* & *erroneum eſſe*, ſcribunt *Bellarminus* & Melchior Canus. Nunquàm confirmatum eſt à Pontifice Romano, & fruſtrà Ferdinandus de Mendozâ *tam apud* CLEMENTEM Octavum *Pont. quam* PHILIPPUM II. *Hiſpaniarum* Regem *ſolicitavit de Confirmando Concilio* ILLIBERITANO. Sed ſi vel maximè ſtandum eſſet autoritate Illiberitani Concilii, certè Canon XXXIII. *nullam Apoſtolicam legem ab exordio naſcentis Eccleſiæ Sacerdotes ad Cælibatum alligantem*, allegat. Provinciale erat Concilium, quod conſuetudines in *Occidente* introductas à Pontifice, in *Hiſpaniâ* ſtabiliebat, communiebat. Et ſi verba: *poſitis in miniſterio*: interpretaris; tempore vicis ſuæ: nihil incommodi canon habebit; ſcribit *Calixtus* de Conjug. Cleric.

ric. p. 169. Et, ſi IV. Apoſtolica aliqua lex fuiſſet, quâ obligati fuiſſent *ſacerdotes* & *Diaconi ad cælibem vitam*, num crederes *lector B.* ignorâſſe hanc legem Apoſtolicam PAPHNUTIUM Martyrem & Confeſſorem, qui, cum in Concilio NICÆNO I. nonnulli, ſine dubio Occidentales & Hiſpani (Oſius *enim Cordubenſis Epiſcopus* PRÆSES *erat Concilii*) vellent, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi cum uxoribus, quas ante ordinationem duxerant, non dormirent; in medio conſeſſus ſurgens contradixit; *Honorabiles confeſſus nuptias: & caſtitatem eſſe dicens:* cum propriâ conjuge concubitum: *ſuaſitque* Concilio, *ne talem poneret legem, gravem eſſe aſſerens cauſam, quæ in ipſis, aut ipſorum* conjugibus *occaſio fornicationis exiſteret.* Si vel omninò hanc Apoſtolicam legem *Paphnutius* ignorâſſet, *quis affirmabit:* ignorâſſe eam PATRES 318. *Nicææ* congregatos? Annon *Apoſtolicam* hanc *legem* Paphnutio *Confeſſori* in memoriam revocâſſent? Nihil horum Socrates, *Sozomenus*, Nicephorus, *Aurelius Caſſiodorus* & *Codex pervetuſtus* Bibliothecæ Vaticanæ, ex quo Alphonſus Piſanus *hanc hiſtoriam confirmat*, commemorant. Hoc potius legimus: *Cujus* (Paphnutii ſc.) *ſententiam Synodus laudavit, nihilq; ſancivit, ſed hoc in UNIUSCUJUSQUE VOLUNTATE reliquit.* Non ſum neſcius, *Turrianum*, Baronium, *Bellarminum* & quam plurimos alios, *hanc PAPHNUTII* hiſtoriam pro fabulâ habere. Sed miratur *Ferdinandus de Mendozâ* Jeſuita, cur *Turrianus*, & alii,

tàm

tàm vehementes ſint, & in tàm antiquos & graves Eccleſiæ Scriptores, tàm acres ſermonis & diſputationis aculeos contorqueant. Pergit: *Nec novi quid conſuluit* Paphnutius, *& decrevit* Concilium (*Nicænum I.*) cum ſemper in Oriente *ea impunitas & licentia permiſſa fuerit. Qui volebant enim altioris vitæ faſtigium conſcendere*, continentes ſe gerebant; *nec poſt ſacerdotium acceptum, ſicut in Occidente*, uxorum amplexibus implicabantur. *Hi autem, quibus hanc ſanctam continentiæ* traditionem *ſequi diſplicebat, uxores antè ductas domi retinebant*, & LIBERIS TANQUAM SECULARES OPERAM DABANT. vid. p. 1214. T. I. Conc. Ex quibus Mendozæ verbis ĩnoteſcit: Vanum & V. hoc eſſe, quod Binius ex Baronio dicit: *pertinere hoc ad eos* qui inviti ſunt ordinati *profeſſique fuerunt: ſe non POSSE continentes vivere*. Ne verbulo enim eorum qui inviti ordinati ſunt *CANON Ancyranus* meminit. Et nùm rationi conſentaneum eſt: *Patres* Ancyranos *adeò fuiſſe infantes, qui animi ſui ſenſa cogitataque proloqui neſciverint?* Imò *ſi Apoſtolica fuiſſet lex*, quâ obligati fuisſent ſacerdotes & Diaconi cælibem vitam ducere, *prohibuiſſet potius Concilium:* neminem niſi volentem & cælibem vitam profitentem, ſacris ordinibus initiandum eſſe; *monente D. Calixto* p.m. de Conjug. Cleric. p. 197. Falſum & VI. hoc eſt quod ſcribit *Binius* & *Baronius:* quod, qui ordinabantur *inviti*, ſi conteſtati fuiſſent, ſe non poſſe continentes vivere, ſi poſt ſacrum Diaconatus

natus ordinem ſuſceptum uxorem ducant; *non aliter conceſſum iis ſit, quam ut à ſacri muneris exercitio* abſtinentes, *non amplius cum ſacris miniſtris, ſed* cum populo *extra cancellos* LAICA COMMUNIONE *communicarent.* Longe aliter *in canone ANCYRANO legimus.* Non enim à ſacri muneris exercitio abſtinere jubétur; ſed potius: ἔςωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ SINT in miniſterio, *juxta verſionem* Gentiani *Herveti*; vel, MANEANT in miniſterio: jubet CANON, *juxtà* Dionyſium *Exiguum* & Iſidorum *Mercatorem.* Ultimò neque de Laicâ communione quicquam habet textus *GRÆCUS*, neque *Hervetus*, neque Dionyſius *Exiguus.* Sola *Iſidori Mercatoris* vetus interpretatio, *quæ legitur in compilatione* (prout Labb. & Coſſart. ad marginem annotant) *hæc de* Laicâ communione *adjicit.* Et ipſa tamen *Mercatoris interpretatio* non de iis loquitur *qui proteſtati ſunt, ſe NON POSSE CONTINERE*, *ſed de iis:* qui tempore ordinationis tacuerunt. *Longior fui quàm volebam*, in diſpellendis tenebris, quas ad obſcurandum Canonem X. *Ancyrànum* induxerat *Baronius* &, qui eum ferè ſemper ſequitur, *Binius.* Supereſt ut etiam *Olearium* de Ruſſis percipiamus. Die Popen und Prieſter ſo dem Altar dienen wollen / müſſen Eheweiber haben / welche ſie als Jungfrauen und nicht als Wittwen / viel weniger berüchtigte / oder ſo von berüchtigten Freunden ſind / ihnen müſſen trauen laſſen. Befindet einer im Ehebett die Jungfrauſchafft nicht / und kommet aus / ſo wird er ſeines Amts entſetzet. p. 176. Itin. Perſici. (*b*) Non

(*b*) Non ferunt in Sacerdote Græci *Digamiam ſucceſſivam.* Chriſtoph. *Angelus* c. 49. p. 115. *Si Sacerdotis uxor diem obiit, permittitur quidem ipſi, ut aliam ducat*, at eâ cautione, ne ſacra adminiſtret amplius. *Quod ſi enim duxerit*, ſacro miniſterio *jam vacare nequit. Sed* Laici perſonam *induit.* Ad *Angelum* accedat *Metrophanes* Conf. c. XI. p. 111. *Si alicujus uxor prior vitæ curſum eſt emetita, ſiquidem presbyter aut Diaconus eſt viduus, & vult ſecundæ conjugi conſueſcere*, ceſſat ſacramenta adminiſtrare. *Habet autem tantùm in ſolatium* (ut ne duriori laqueo mœroris conſtringatur) *iſte quidem eundem* cum Presbyteris; *ille eandem* cum Diaconis, *ſellam. Qui vero hos ſequuntur, veluti* Subdiaconi, Lectores, Exorciſtæ & cuſtodes, *ab ordine quidem ſuo non dejiciuntur*, ſi bis conjugium contraxerint, *provehi autem in majores nequeunt.* Magnificus Dn. FURERUS hæc de conjugio Clericorum apud Græcos annotavit in der Reisbeſchreibung deß gelobten Landes pag. 192. Ihre Prieſter mögen Weiber nehmen / und Ehelich werden / wann aber die erſte ſtirbet / müſſen ſie Wittber bleiben. Dann alſo verſtehen ſie mit der Erſten Kirchen die Wort deß Apoſtels: Ein Biſchoff ſoll unſträfflich ſeyn eines Weibes Mann. Sed adeſto tu nobis quoque *Oleari*, & quid Ruſſi de *ſacerdote digamo* ſtatuant, ediſſere: Stirbt dem Prieſter ſein Weib / ſo kan er dem Altar nicht mehr dienen / ſondern muß nur in der Kirchen leſen und ſingen. Er darf auch nicht wieder zur andern Ehe ſchreiten / oder muß deß Kirchendien-

chendienſtes müſſig gehen / den geiſtlichen Orden auffagen / und ein Weltmann werden / welches dann nicht ſelten bei ihnen. Den Spruch Pauli 1. Tim. III. Ein Biſchoff ſoll ſeyn eines Weibes Mann; verſtehen ſie alſo dahin / daß ein Prieſter nothwendig ein Weib haben müſſe. Und daß er nicht mehr dann eines Weibes Mann werden ſoll: Darum wann ihm die erſte ſtirbt / er ein Wittwer bleiben muß. Itin. Perſ. p. 176. *Tertulliani* verò tempore (*qui nuptiis ſecundis Laïcorum etiam iniquior erat*) ſacerdotibus bigamis ſacerdotem agere interdictum fuiſſe, novimus ex illis verbis *Tertulliani*, quæ leguntur libro *de exhortat. Caſtiſtatis*: Digamus tinguis digamus offers, quanto magis bigamo Laico capitale eſt agere pro ſacerdote, *cum ipſi ſacerdoti digamo facto auferatur agere ſacerdotem*. Vid. *Chemnitium* part. III. Exam. Concil. Trident. pag. 107. Imò *M. Antonius de Dominis* lib. II. de Rep. Eccl. cap. X. §. 25. p. 207. ſcribere nullus dubitat: *Bigamiæ impedimentum ad ſacros ordines ſuſcipiendos, ab ipſo Apoſtolo poſitum, & ab Eccleſiâ univerſaliſſimè obſervatum, frequentiſſimisque & univerſalisſimis decretis inculcatum eſſe.*

Muſicam vocalem (*a*) (inſtrumentalem enim nullo modo in Eccleſiâ patiuntur) 6. 8. 12. 16. vocum in uſu diebus feſtis & ſolennitatibus habent.

(*a*) Chriſtoph. *Angelus* c. IX. lib. de ſtatu & ritibus Eccl. Græcæ, de ſuorum cantu, hunc in modum ſcribit: *quod audiantur cantiones eorum magnâ voce & ſimpliciter ut plurimùm & harmonicè.* Edwin *Santes* c. 42. lib. Bericht von der Religion p. 578. hæc de Græcorum cantu notat: **Bey ihrem Gottesdienſt pflegen ſie ſehr zu ſingen. Welches auf eine ſolche Weis gehet / die nicht gar zu wol / und nicht gar zu übel / ſondern ſehr reputirlich lautet.** Stephanus *Gerlachius* in literis ad Martinum *Cruſium* hæc de Græcorum Muſicâ. *Apud eos* (Græcos) *figuralis cantus non eſt, niſi quod cantores in templis, variatâ interdùm voce, eam imitari conentur, & more utriculariorum noſtrorum, alius vocem eodem ſono tenet, alius,* dra, dra, *ſaltatorium in modum, canit.* Vid. ejus epiſt. ad *Chytræum* p. 95. Sed nec aliis inſtrumentis Muſicis utuntur, niſi forſan *teſtudine* & *Clavichordio* ii, qui ex *Cypro*, *Chio*, *Cretâ*, *Corcyra* aliisque Italicæ imitationis locis veniunt.

Habent & alium longè diverſum cantandi modum, characteribus certis ſuper textum notatum, quos ille qui diſcentes domi, vel in ſcholâ privatim (non verò in Eccleſiâ) inſtruendo, digito, vel inſtrumento aliquo apto, demonſtrat.

 Non

Non inutile denuo erit p. m. Magnif. Dn. FURERI deſcriptionem terræ ſanctæ in manus ſumere, atque ſectionem evolvere; von der Griechiſchen Religion: Sie gebrauchen in Singen viel anderer Melodeien/als die Lateiner/ſonderlich bei ihren geiſtlichen hymnis und Liedern; haben auch andere/ als bei uns/gewöhnliche Noten und Characteres, mit welchen die Zeilen ober der Schrifft als mit Accenten bezeichnet/ und kan auch der jenige/ der den Chor regiret/ im Singen die Melodei aus den Accenten andeuten/welches luſtig zu ſehen iſt. Obſignare placet hæc verbis *Gerlachii: In Muſicis libris* notulas noſtras non habent, *ſed certa quædam ſigna* (velut, ) *ex quibus vocem variare noverunt.* Vid. *Cruſii* Turco-Græc. p. 197.

Atque hæc ſunt quæ juxtà ductum EUSTRATII JOHANNIDIS ZIALOWSKI de RELIGIONE GRÆCORUM tibi L. B. communicare volui. Si ubique rem acu non tetigi, paratus ſum meliora monentes audire. DEO *interim*, ſi quid à me in hâc lucubratione, quod ad Eccleſiæ ſuæ vergit emolumentum, eſt præſtitum, SIT LAUS, HONOR ET GLORIA! Amen!

INDEX.

INDEX.

A.

ABbates. 23

Abrenunciatio. 137. 138. 139

Alexandrinus Patriarcha. 29

Altare ſacrum. 109

Ancyranus Canon. 155. 156. 157

Angelicus hymnus. 121

Antiochenus Patriarcha. 28

Aqua benedicta. 143. 144

Archidiaconus. 20. 104. 109

Archimandrita. 23. 24

Aſperſio in Baptiſmo. 128

Athanaſianum Symbol. 68. usque ad 80

Azymus panis. 90. 91

B.

BAptiſmus Græcorum. 124. quando adminiſtratus. 129. 130. 131

Baptiſterium. 126

Bigamia Græcis Clericis prohibita. 161. 162

C.

CAlendarium Græcorum. 146

Calogerus. 5

Campana. 96. 97

Canones Arab. Conc. Nicæni. 84

Cherubinus hymnus. 121

Chorepiſcopi. 24

Ciborum differentia in jejunio. 44

Clerici. 2. 3. 109

Communio ſub utraque. 89

Communio in memoriam Apoſt. 115

Concilia Oecum. Græcorum. 19

Conciones Græcorũ. 36

Condonatio fraterna. 108

Confirmatio. 88. 133. 134. 135

Conjugium Cleric. 9. 154. usque ad 160

Conſecratio. 101.102
Conſtantinop. Patriarcha. 32
Corporis Chriſti præſentia in Euch. 114

D.

DIaconus. 20.106.155
Δεήσεις. 123
Diptycha. 149
Diſtributio Cœnæ Dominicæ. 108. 116
Dominicum. 113
Δῶρα. 116. 117

E.

ELevatio. 105
Ἐντεύξεις. 123
Ἐπινίκιος ὕμνος. 122
Euchariſtia. 99. usque ad 104
Εὐχαριστίαι. 123
Εὐχὴ ἀπολυτική. 124
Eulogiæ. 119
Exarchi. 24. 25

F.

FErmentatus panis. 91
Fermentum quid. 91. 119
Fons ſacer. 125
Formula Baptiſmi. 131.
Confirmationis. 133. 134.

H.

HIeroſolymitanus Patriarcha. 25
Horæ Canonicæ. 15.93
Hymni Græcorum. 121

I.

JEjunium. 39.50.&c.94
Imagines. 140. 141. 142
Immerſio in Baptiſmo. 127.128
Infantes Euch. participes. 110
Infuſio. 128
Intinctio panis Euch. 110.112
Jus Canonicum. 17.18

L.

LAici. 9. Laica communio. 109.160
Litaniæ. 11
Liturgiæ. 37.
Lux Paſchatis. 145.

M.

MAnus porrectio in percept. Euch. 113
Mariæ cultus. 33.
Menæum. 14
Menſa ſacra. 117
Monachi. 4.10.21.35
Moniales. 48
Muſica Græcorum. 162. 163.164

Muſco-

Muſcobitarum Conciones.36. Partriarcha.30

N.

NIcænum Symbolum. ſ4.& ſeq.63.8ſ

Nummulus offertorius 118

O.

OBlationum & Oblatarum origo.117. 118

Oecumenicus Epiſcopus. 32

Ordines Clericorum.ſ.6

P.

PApam Græci rejiciunt. 147.148.149

Paphnutius. 119

Paſcha. 129.14ſ

Patriarchæ. 26

Patres Concil. Nicæni. quot? ſ3

Pentecoſte. 129

Placuit. quid ſignif. 142

Præparatio ad Euch. 93

Preces pro defunctis.13. 1ſ1. in communione. 98.122

Primates. 2ſ

Proceſſio Sp. S. ſſ. usque ad 68

Profeſſio fidei. 137

Πϱοσευχαί. 123

Pſallendi origo. 122

Purgatorium 1ſo. usque ad 1ſ3

Q.

QUadrageſima. 40

Quartadecimani. 146

R.

ROgationes. 13

Ruſſorum Patriarcha. 29.30.31

S.

SAcramenta Græcorum. 86.87

Salutationes acceptâ Euchariſtiâ. 124

Sectæ in Oriente. 2

Signum crucis. 136

Stationum ſemijejunia. 41

Subdiaconi. 20

Suſceptores. 12ſ

T.

TRansſubſtâtiatio.101. 11ſ

Triſagios hymnus. 121

V.

VAſcula quibus Corp. Chriſti ſuſcipiebant. 113.114

Vernacula in ſacris. 107

Vinum

Vinum mixtum in Euch. 92
Virgo Sacerd. Græco ducenda. 160
Ungendi Baptizati. 132
Unguentum Sacrum. 133

Υ.

Ὑπέρθεσις jeunii ſpecies. 41

Corrigenda.

PAg. 9. l. 7. Clementem VII. leg. Clementem VIII. p. 16. l. 4. ac. leg. ad. p. 17. l. 23. Ancyvani lege Ancyrani. p. 33. l. 24. Supplicanr leg. ſupplicant. p. 51. l. 13. dieſ eptimâ leg. die ſeptimâ. p. 53. l. 25. dele. Georgius Wicelius in viâ Regiâ p 320. p. 66. l. 13. Spiritus Sanctus. lege Spiritus Sancti. p. 71. l. 16. p. 75. l. 5. ἐκπόρευτον leg. ἐκπορευτόν. p. 107. l. 10. vere. leg. vero. p. 114. l. 6. manus crucis leg. manus in crucis.

F I N I S.

A01469877

B 86.